



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titvlvs XIII. De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

TITVLVS XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis.

CAPVT I.

Ex Concilio (a) Lugdunensi.

Non liceat Episcopo, nec Abbati terram unius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ sint in ejus potestate: tamen si commutare voluerint terras earum, cum consensu ambarum faciant.

NOTÆ.

1. (a) **L**ugdunensi.) Textus hic ex Concilio Lugdunensi citatur à Burchardo *lib. 3. De ereti, cap. 14.* Ivone *p. 3. cap. 79.* Bernardo *in cap. 1. hoc tit. in 1. collect.* non tamen reperitur in ullo ex Conciliis Lugdunensibus hucusque editis; credo tamen transcriptum esse ex Concilio Lugdunensi i. celebrato anno 570. sub Joanne III. ubi editi fuerunt aliquot canones, in quibus agebatur de rebus Ecclesiæ, & earum conseruatione.

COMMENTARIUM.

2. **E**X præsentem canone sequens communiter ducitur disputanda assertio: *Prædia unius Ecclesiæ non sunt ab Episcopo, vel Abbate alteri Ecclesiæ conferenda, nisi factâ permutatione de utriusque partis consensu.* Probant eam textus *in cap. 1. & 2. cap. iua. de his qua sunt à Prælat. cap. 2. de donat. cap. 1. hoc tit. in 6. cap. cum venerabilis 6. de except. cap. ea enim, §. sed permutationem 10. q. 2. cap. alienationes 37. cap. sine exceptione 52. 12. q. 2. Authent. sed & permutare, C. de sacros. Eccles.* Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsentem Gratianus *discept. cap. 674. num. 4. & 5. Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 24. dub. 11. Barbosa de potest. Episcop. alleg. 95. & lib. 3. juris Eccles. cap. penult. Egidius Bossius tom. 3. oper. moral. tit. 18. per totum. Delbene de immunit. cap. 17. dub. 7. per tot. Peyrinis tom. 3. in addit. ad constit. Inl. 11. num. 20. pag. 68. Diana p. 4. tract. 4. resol. 223. Hurtado de congrua sustent. tom. 1. lib. 1. resol. 2. fol. 40.*

3. **S**ed pro dubitandi ratione in hanc assertionem ita insurgo. Facultas dispensandi res Ecclesiæ; totiusque patrimonii ecclesiastici dispensatio competet Episcopo in propria diocesi, *cap. 1. 2. 3. 4. & 5. 19. q. 1. cap. præcipimus 12. q. 1. cap. omnes 16. q. 7. can. 41. Apost. ubi Binus, cap. conquerente, de offic. ordin. cap. ad hac 4. de relig. domibusl. 2. tit. 12. p. 1. Trident. sess. 14. de reform. cap. 9. & sess. 21. cap. 4. & sess. 25. cap. 11.* Ergo virtute illius potestatis, & dispositionis poterit Episcopus rem unius Ec-

clesiæ cum re alterius propriâ auctoritate permutare. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam Episcopus potest rem unius Ecclesiæ propriâ auctoritate alii donare, *cap. Si Episcopus unam 73. vers. qui etiam, cap. bonæ 74. vers. quisquis 12. q. 2. cap. ad audientiam, el. 1. de Eccles. edific. cap. Apostolica 9. de donat. Clement. 2. hoc tit.* Ergò multò magis poterit rem unius cum alterius prædio commutare; quando utraque Ecclesia illi parer. Augetur secundò hæc difficultas, nam ratio finalis præsentis prohibitionis de non alienandis bonis Ecclesiæ, fuit, ut consuleretur indemnitati universalis Ecclesiæ, ut constat ex Extravaganti *ambrosio, hoc tit. & docet Riccius p. 1. decis. 28.* Sed universalis Ecclesia nullum detrimentum patitur ex tali alienatione; sunt namque semper ea bona domini universalis Ecclesiæ sub dispositione Romani Pontificis; quod tamen secus contingit, quando una Ecclesia particularis alienat bona sua, & transfert in sæculares, nam tunc universalis Ecclesia magnum patitur detrimentum, cum in eis bonis nullum habeat amplius dominium. Ergo talis casus permutationis non est comprehensus sub prohibitione alienationis rerum Ecclesiæ. Secundò contra versiculum illum, *vel Abbati,* præsentis textus, obstat quod non potest Abbas alienare res monasterii, vel simili alienationi auctoritatem præstare; sed tantum Episcopus, ut probatur *ex cap. Abbatibus 41. 12. q. 2. cap. in venditionibus 40. 17. q. 4.* Ergo non rectè in præsentem docetur, etiam Abbatem posse alienare, seu permutare res proprii monasterii cum rebus alterius Ecclesiæ. Tandem in præsentem assertionem sic insurgo: Venditio, donatio, seu permutatio, quoad præsentem prohibitionem, alienationi rerum Ecclesiæ æquiparantur in jure nostro. *dist. cap. sine exceptione 12. q. 2. cap. nulli 5. hoc tit., sed in venditione, & donatione rei Ecclesiæ non sufficit utriusque partis consensus, nisi præcedat præscripta à jure solennitas: ergo nec Episcopus, aut similis Prælati, etiam accedente utriusque partis consensu, sine debita juris solennitate rem unius Ecclesiæ cum alterius re permutare potest.*

Quibus

Quibus difficultatibus minimè obstantibus, vera est præsens constitutio, in qua ampliatur prohibitio alienationis bonorum Ecclesiæ, de cuius origine & progressu egi in cap. 1. de his que sunt a Prælat. quamque latius illustrabimus in cap. nulli 5. hoc tit. Ampliatio igitur in præsentem proponitur ita, ut unius Ecclesiæ res non possit Episcopus, vel Prælatum cum re alterius Ecclesiæ permutare, nisi accedente utriusque partis consensu: cuius ratio provenit ex eo, nam cum dominium rerum cuiusque Ecclesiæ, non in communi ad Ecclesiam, sed in particulari ad talem spectet, juxta textum in cap. videntes 12. q. 1. & ea, quæ dabitur in cap. cum sint. de consecr. Eccles. consequens est, ut Episcopus, aut similis Prælatum sine ejusdem Ecclesiæ consensu talem rem in alium transferre non possit, ex sententia legis id quod nostrum 11. ff. de reg. jur. junctis traditis à Petro Fabro, & Gothofredo ibi: quia traditione nihil aliud transferretur, quam jus, quod ipse, qui tradit, habebat, l. traditio 20. ff. de acquir. rer. dominio, l. nemo 120. ff. de regul. jur. Accedit quia similis Prælatum, aut procurator intelligitur rerum Ecclesiæ, cap. final. 12. q. 1. cap. quod autem 3. 23. q. 7. Sarmiento 3. p. de reddit. cap. 1. num. 4. aut defensor ipsarum, cap. nonnullus 57. vers. unicuique 16. q. 1. aut administrator, cap. final. cap. videntes, cap. Episcopus 12. q. 1. sive curator rerum Ecclesiæ: sed isti omnes res propriæ curæ, seu administrationis non possunt alienare, vel procurator 63. ff. de procurat. l. filius 7. ff. de donat. l. servi 17. ff. de manumiss. Igitur nec Prælatum, qui dominium non habet, poterit alienare easdem res suæ administrationi committas. Accedit, quia permutatio celebratur cum quis dat aliquam rem, ut alia vicissim ei tradatur, l. naturalis 5. §. & si quidem, ff. de præscript. verbis: cum autem dare sit dominium transferre, l. ubi autem 75. §. ult. ff. de verb. oblig. nemo autem dominium transferre possit, quod non habet, dict. l. nemo 120. inde fit, ut quemadmodum res alienæ permutatio inutilis est, l. 1. vers. itaque, ff. de rer. permitt. cap. cum venerabilis 6. de except. inde Prælatum nisi ex consensu utriusque partis rem unius Ecclesiæ cum alterius re permutare non valet. Et si inde inferas, hac ratione retentâ nullo casu res Ecclesiæ alienari posse, siquidem nec ejus Canonici, quorum consensus hic exigitur, domini sunt rerum ad Ecclesiam spectantium, argumento legis sed si hoc 10. §. qui manumittitur, ff. de in jus vocando, l. licet 7. §. 1. ff. quod cuiusque universal. in tantum 6. §. universitatis, ff. de rer. divis. & Ecclesiæ, penes quam dominium residet, est res inanimata, atque ita consentum præstare non potest, ac per consequens permutacionem rerum Ecclesiæ utiliter nunquam fieri posse. Respondeo subscriptionem Canoniorum simul cum consensu Prælati in præsentem specie sufficere, quia licet singuli dominium rerum Ecclesiæ non habeant, tamen cuncti omnia expedire valent, quæ sunt utilia, & necessaria Ecclesiæ, argumento textus in l. tigni 7. §. item municipales, ff. ad exhibend. l. municipibus 97. ff. de condu. & demonstr. l. 1. §. ult. junctâ l. sequenti, ff. de acquir. possess. l. municipales 14. ff. ad municip. quod utilitas gratiâ receptum est, ut ita patrimonium Ecclesiæ rectius administrari possit.

Nec obstat si infes, permutacionem re-

rum Ecclesiæ, in præsentem specie sustineti posse, sicut sustinetur venditio, l. rem alienam 28. ff. de contrahend. em. pign. l. legatum. l. cum alienam 10. C. de legatis, donatio, l. si alienam 33. l. qui alienam 33. ff. de donat. caus. mort. l. si extraneus 44. ff. de donat. inter: nec novum esse, ut dominium, quod quis non habet, in alium transferat, l. non est novum 46. ff. de acquir. domin. l. quod nostrum 63. ff. de usufruct. l. interdum 21. ff. de acquir. possess. & ita permutacionem in præsentem valere posse. Nam in hac specie improbatum permutacionem ab Episcopo absque consensu clericorum facta, quia Prælatum intendebat rem unius Ecclesiæ cum prædio alterius permutare propriâ auctoritate, tanquam sibi jure concessa, atque ita ex defectu potestatis talis alienatio nulla est, adeo ut nec possessio iusta ex ea transferatur; quia jus Pontificum similes alienationes rerum Ecclesiæ non solum prohibuit, verum & irritavit, ut jus cuiusque Ecclesiæ illatum servetur. Nec obstat textus in dict. l. non est novum 46. ff. de acquir. rerum domin. quia dum ait, novum non esse, ut quis in alium transferat dominium quod non habet, restringi debet ad speciem ibidem propositam, cum creditor pignus vendit; tunc enim transfert dominium in emptorem, quia ex voluntate domini rem alienat, §. contra, Insti. quibus alienare licet, Antonius Faber in rationali ad l. quod novum, ff. de usufruct. Caldas in tract. de emptione & venditione, cap. 11. Donellus in tract. de pignori. cap. 10. creditor enim debitoris intelligitur procurator, l. si pignori 29. ff. familia erisco. ideoque per debitorem impediti distractio pignoris non potest, l. 1. §. 2. C. de debitore venditionem pignoris impedire non posse: quia semper intelligitur conventum, ut possit distrahere, modò cautum non sit, ne id liceat creditori, l. si conventi 4. ff. de pignorat. act. quia & eo casu, quo cautum est, ne liceat creditori pignus alienare, id permittum est, modò ea observentur quæ notantur in d. l. si conventi, & cumulat Donellus, & Caldas Peteyra ubi supra. Nec etiam obstat textus in d. l. quod nostrum 63. ff. de usufruct. quia ommissis solutionibus congestis à Fabro in eius rationali, Petro Fabro in l. quod nostrum, de reg. jur. Castillo lib. 1. de usufructi. cap. 1. num. 39. dicendum est, eam esse Pauli sententiam, ut valeat constitutio usufructus facta ab eo, qui nuda proprietatis dominus erat: quæ sic est accipienda, ut effectum sortiri incipiat, ex quo ad proprietatem accesserit usufructus, in l. si dominus 72. ff. de usufruct. collatâ scilicet concessione in id tempus, quo dominus proprietatis usufructum habebit, ut explicat Donellus lib. 10. comment. cap. 5. ubi Osvaldus littera D. ita ut quod sum non est, futurum tamen speratur, transferat. Nec tandem obstat textus in d. l. interdum 21. ff. de acquir. possess. cuius interpretationem præsentit Accursius ibi, verbo Dominum, dum docet hæredem precariam possessionem concedentem, quod eia jure permittitur in l. in rebus 4. §. ult. l. §. habet 15. §. cum qui, ff. de precario, transferre possessionem precariam, quam ante concessione non habebat, sed ex ipsa concessione nanciscitur: & ita uno actu hæredem possessionem acquirere, & precariò concedere, exemplo textus in l. singularia 15. ff. de rebus creditus.

Nec

6.
Dissolvitur
dubitandi
ratio.

Nec obstat prima dubitandi ratio supra adducta, cui respondendum est, quod licet verum sit, Episcopos plenam dispensationem patrimonii Ecclesiarum olim habuisse, ut refert Baronius tom. 3. anno 34. aded ut nulli alii permissum fuisset dispensare patrimonium illud, cap. in canonibus 57. 16. q. 1. tamen post divisionem bonorum Ecclesiarum, factam à sancto Simplicio, de qua in cap. quatuor, cap. de redditibus 12. q. 2. portio illa, quæ adjudicata fuit fabricæ, sub cura tantum Episcopi est, ut eam servet, & defendat, cap. 2. de donat. cap. regenda 10. q. 1. non ut dissipet, aut pro libito sine causa de ea disponat, cap. venerabili 37. de offic. deleg. exemplo tutoris, qui tunc officium suum exercet, dum meliorem facit pupilli conditionem, non verò cum deteriore, l. tutor 27. ff. de administr. tut. l. qui fundam 9. §. si tutor. ff. pro emptor. l. pactum 22. C. de pactis; aut exemplo procuratoris, qui ita debet rem alienam gerere, ut alienando conditionem Domini non faciat deteriore, d. l. procurator 63. ff. de procurat. Nec tunc obstat si dicas, procuratorem, cui libera administratio commissa est, posse vendere, l. qua ratione, l. nihil autem, ff. de acquir. rer. domini. & permutare, l. procurator 58. ff. de procurat. tutoti quoque concessum esse, ut remittat actionem pupillo competentem, l. si pignore 54. §. ult. l. interdum 56. §. qui in celam ff. de furtis. Igitur & Prælato eadem facultas concedenda est. Nam respondendum est asserendo, procuratori generali alienationem ita demum permitti, si constitutus sit cum libera administratione, secus verò si sine libera, l. 1. §. 1. ff. de offic. procur. Casar. Caldas de emptione & vendit. cap. 15. num. 2. Amplius desideratur in procuratore, etiam cum libera administratione, videlicet ut bona fide rem gerat, & sit domino utilis distractio; quo casu procedit textus in dicta l. qua ratione: aliàs si utilis non fuerit alienatio, domino non nocebit, d. l. procurator 63. quod etiam observatur in alienatione rerum Ecclesiarum, juxta quatin distinctionem accipiendus etiam est textus in l. procurator 58. ff. de procurat. dum ait, transigere posse, & permutare procuratorem, cui res gerenda absolute mandata est, ut procedat, dummodo transactio utilis sit domino. Eodem etiam modo exponendi sunt textus in l. nam 12. ff. de pactis, l. iurjurandum 17. §. procurator, ff. de iureiur. Nec etiam obstat exemplum tutoris, quia licet domini loco haberi soleat, l. tutor 27. ff. de administr. tut. l. ad ea 157. ff. de reg. jur. hoc tamen procedit, cum rectè administrat, l. 7. §. si tutor, ff. pro emptore: non cum remittit debitum, d. l. pactum 22. C. de pactis. In specie autem dictæ legis si pignore, §. ult. d. l. interdum, §. si infulam, ff. de furtis, non fuit facta simplex actionis remissio, sed ex causa transactionis, quæ cum aliquo dato, retentive fieri debeat, l. transactio 38. C. de transact. credendum est in ea specie utilem pupillo fuisse transactionem tutoris, cum aliàs diminuendi causâ non liceat tutori transigere, l. tutor 22. l. Lucius 46. §. ult. ff. de administr. tut. sicut nec donare, l. 1. §. 2. Nec obstat augmentum dubitandi rationis deductum ex dicto cap. pastoralis, de donat. in cuius commentario solutionem dabimus. Nec obest aliud augmentum ipsius difficultatis, petium ex ratione interdictionis alienationis rerum Ecclesiarum; quâ difficultate moti

Peyrinis, Diana, & Hurtado supra relati, existimarunt, licere Abbati, vel Prælato duarum Ecclesiarum rem unius cum alterius re commutare propriâ auctoritate. Sed eâ sententiâ omisâ, respondendum est, rationem illam huius prohibitionis, ne res Ecclesiarum prophanis usibus applicentur, non esse finalem, sed impulsivam, aliamque rationem concurrere, videlicet quia expedit unamquamque Ecclesiam dotem suam habere, & conservare; & cum per venditionem, permutationem, aut similem contractum, etiam inter Ecclesias celebratum, vera alienatio sequatur, atque evenire possit, ut bona unius Ecclesiarum aded minuantur, ut non sufficiant pro ipsius dote, & congrua ministrorum sustentatione; ided oportuit etiam inter ipsas Ecclesias alienationem prohiberi, absque juris solenitatibus factam, quæ ratio si deficeret, alienatio procederet, cum sic res inter easdem personas, inter quas prohibitio militat, conservetur, ut contingit in alienatione feudi, quæ non prohibetur inter easdem personas, agnatos videlicet, & similes conjunctos, renuntiando, aut restituendo feudum in proximiorum, cap. 1. §. sed etiam, de alienat. feud. in usib. feudor. docet Molina lib. 1. de primog. cap. 16. num. 45. & lib. 3. cap. 1. num. 22. Similiter adjecta in testamento alienandi prohibitio extra familiam, non reddit alienationem nullam factam in foretorem legatarii, vel voluntas 4. C. de fideicom. l. final. C. de verb. signif. & si alienatio prohibetur in favorem libertorum, sustinetur alienatio facta inter ipsos libertos, l. pater 38. §. quindecim, ff. de legat. 3. Cum enim in iis, & similibus casibus cesset finalis causa prohibitionis, alienatio celebrata sustinetur. Similiter etiam licet SC. de quo in l. Senatus 43. ff. de legat. 1. juncto Cujacio lib. 5. observo. cap. 16. prohibitum esset res ædibus junctas distrahere, aut columnas, seu marmora legare, ne aspectus urbis tuinis deformaretur, l. Marcellus 45. ff. de donat. l. 2. C. de adific. privat. tamen de civitate una in aliam, vel de domo in domum transferre non erat prohibitum, quoniam utrobique ratio deformitatis cessat, d. l. 2. §. 6. C. de adific. privat. Huc etiam spectat, quod de transactione ab oppidis, de pascuis, & jure pascendi facta docet Otero de pascuis, cap. 11. num. 38. quæ valet si fiat inter duo oppida eidem Principi, aut Domino subiecta; nec requiritur eo casu Regia facultas, quia licet transactio alienationis nomine comprehendatur, cap. cum tempore, de arbit. tamen ex quo manent pascua, & termini sub ejusdem Principis dominio, ejus licentia non desideratur, dummodo transactio non omnino cedat in favorem unius oppidi, & alterius magnum præjudicium.

Nec obstat alia difficultas, quam expendeamus contra illa verba: *Vel Abbate*; quia respondetur, ea verba esse intelligenda juxta communem sententiam Abbatis, & Beroi hic, Covar. lib. 1. var. cap. 1. num. 9. Redoani in rubric. 30. de rebus Eccles. cap. 1. num. 64. Florus à Mena lib. 1. var. cap. 14. num. 7. de Abbate exempto, jurisdictionemque quasi Episcopalem exercente, qui potest in proprio monasterio alienationi auctoritatem dare absque eo, quod consensus expectetur Episcopi, cap. ad nostram, infra hoc tit. ubi sustinetur alienatio facta ab Abbate, quia exemptus erat; quamvis Covar.

Covar. ubi proxime, existimet in eo textu alienationem ab initio nullam fuisse; sed non recte, cum in ea specie necesse fuerit, à monasterio probari lesionem; ut alienatio rescinderetur; quod præsupponit validitatem actus, argumento textus in l. nam est, ff. de injusto rupto, §. rursus, Inst. de actionibus. Quod autem de Abbate exempto in præsentis textu agatur, probant illa verba, Episcopo, vel Abbate; quia alternativæ dictionis ea virtus est, ut pars una aliam declaret, l. i. ff. de rebus dubiis; & ita constat, non de Abbate ordinario, sed de eo, qui Episcopo similis est, in hoc textu agi; ex eo enim, quod Abbas in præstanta auctoritate Episcopo comparatur, ut recte æquiparatio procedat, intelligi necessarium debet de Abbate exempto habente jurisdictionem quasi Episcopalem, argumento textus in cap. in his 15, de verb. sign. cap. sua 7, de consanguin. & affin. Abbates ergo & ceteri Prælati exempti, possunt auctoritatem præstare alienationi rerum monasterii: & licet olim Episcopi administrationem haberent rerum monasteriorum, cap. Abbates 16, cap. monasteria 18 q. 2, tamen ex quo exempta fuerunt monasteria à jurisdictione Episcoporum, & lege diocesana per B. Gregorium, & ejus succedentes, ut probavi in cap. grave, de officio ordin. non expectatur Episcopi assensus in alienatione ipsarum rerum, ut latius prosequentes solennitatem novis constitutionibus in alienationibus à Regularibus faciendis præscriptam, docent Peyrinis, & Thomas Hurtado ubi supra. Nec obstat ultima difficultas; nam respondeo, verum esse, permutationem rei ecclesiasticæ eandem solennitatem exigere, quam in aliis alienationibus sacri canones præscriperunt, juri- bus supra pro illustratione conclusionis adductis. Nec contrarium docetur in hoc textu, quia

licet ex eo Abbas, quem sequitur Avendanno de exequend. lib. 1. cap. 4. num. 36, indistinctè docuerit, in permutatione ultra Ecclesiarum consensum non esse necessariam aliam solennitatem; contrarium tamen verius est, quia licet permutatio justam alienationis causam præbeat, tamen quia facile evenire poterat, ut in simili alienatione fraus interveniret, si res exigui valoris pro alia magni momenti permutaretur, ideo causæ cognitio præcedere debet; ejus tamen non meminere Paues in præsentis textu, non quia eam neglexissent, sed quia de consensu tantum Prælati agebant: quare solennitatem illam supposuerunt, potius quam respuerunt.

Superiori assertioni obstat textus in cap. cum venerabilis 6, vers. porro, de except. ex quo deducitur, Episcopum posse pro arbitrio de prædiis, molendinis, & aliis rebus pertinentibus ad Ecclesiam sibi subjectam disponere. Igitur quia potest liberè rem unius Ecclesiæ permutare propria auctoritate cum re alterius. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in eo versiculo non referri decisionem Pontificis, sed tantum partis narrationem. Et si adhuc ea verba Pontificis essent, dicendum est, multum interesse, an Prælati disponat de re Ecclesiæ, quæ sub ejus potestate est, tanquam Prælati, sed immediate ab illis ministris regiur, & eorum sustentationi destinata est, qui casus proprius est præsentis textus; an verò disponat Prælati de rebus Ecclesiæ, quæ quoad spiritualia, & temporalia ipsi qui tantum paret: in primo casu alienatio nulla est, cum sit facta de re aliena, inconsultis his, de quorum præjudicio agitur; in secundo verò, qui proponitur in dicto cap. cum venerabilis, alienatio sustinetur, quasi facta ab eo, cujus immediate interesse vertitur; & tunc verum est, aliorum consensum non desiderari.

8;
Exponitur
cap. 6. de
except.

CAPVT II

(a) Ex eodem.

Qui res Ecclesiæ petunt à Regibus, & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam (b) rapiunt, irrita (c) habeantur quæ obrinent, & à communione (d) Ecclesiæ (cujus facultatem auferre cupiunt) excludantur.

NOTÆ.

(a) Eodem.] Lugdunensi 4. videlicet, can. 11, ex quo citans textum hunc Burchardus lib. 15, Decret. cap. 36. Carnot. 1. p. Decret. cap. 37. Bernardus Papien. in 1. collect. sub hoc tit cap. 2. Sed cum canones ipsius Concilii non extant in tomis Conciliorum; non reperitur in illo Concilio præfens textus; extat tamen in Concilio Arvernensi sub Theodoberto, can. 4. ubi in principio male legitur, qui reculam, pro qui res: etiam extat in Concilio Meldensi, can. 40, quem refert Antonius Augustinus in epit. jur. lib. 15, tit. 32. & eadem verba tanquam Symmachi Papæ allegantur in capitibus villæ Sparnacii, cap. 42. Tam in Concilio Arvernensi, quam Meldensi statuitur, rerum ecclesiasticarum interdictam esse Regibus dispensationem: occasionem autem illi constitutioni præbuit Theodoricus Gallie Rex, qui bona Ecclesiarum, pauperumque ty-

rannica præsumptione dilapidaverat. In ejus locum successit Theodobertus, regni potius, quam paternæ perfidiæ successor, veterem libertatem Ecclesiis restitui curavit, auctoritatem præstans, ut Ecclesiæ Patres in eos animadvertent, & pœnas statuerent, qui bona Ecclesiarum à Regibus impetrarent: quæ de causâ celebratum fuisse Concilium Arvernense, testantur Gregorius Turonensis lib. 3. de gestis Francorum, cap. 34. Baronius anno 541. num. 38. Severinus Binius in notis ad illud Concilium, tom. 2. p. 2. & licet hæc constitutio, ut facta in Concilio provinciali, generaliter universalem Ecclesiam non obligaret, ut procedit in Synodis provincialibus, cap. catholica 8. 17. dist. cap. Concilia 6. 17. dist. junctis traditis à Patre Salas de legibus disput. 8. Joanne Dartis in 15. dist. tamen cum præfens constitutio auctoritate Gregorii IX. in hoc Decretalium volumine transcripta sit, vim generalis constitutionis obtinet virtute Pontificiæ approbationis,

Y nis,

nis, juxta tradita in nostro apparatu. Præfens ergo prohibitio generalis est, complectens omnes imperantes bona Ecclesiæ, à quocunque Principe seculari: tum quia constitutio ut generalis manet, & in cap. quicumque 4. 12. q. 2. & in cap. in canonibus 57. 16. q. 1. generaliter ita cavetur, *A quocunque Rege, seu seculari Principe: tum quia ratio constitutionis expressa in cap. final. hoc ut. quia videlicet laicis Principibus nulla est attributa potestas disponendi de rebus Ecclesiæ, generalis est. Nec obstat quod causa præsentis constitutionis temporalis fuit, videlicet invasio Theodorici; atque ita eâ cessante, & prohibito cessare videtur, cap. cum cessante, de appel. Quia dicendum est, invasionem tyrannicam Theodorici, causam præbuisse ut Patres Ecclesiæ in urbe Atrvernensi congregarentur, ut restituerent pristinam immunitatem; at verò ipsa restitutio libertatis Ecclesiæ fuit præcipua, & finalis hujus constitutionis, quæ eum ubique vigeat, omnes sæculares Principes comprehendit.*

2.

(b) *Substantiam.*] Inde bona Ecclesiæ dicuntur bona pauperum, cap. quia juxta 59. cap. decima 66. 16. q. 1. cap. futuram, 15. 12. q. 1. Sed cum penes duos dominium uno eodemque tempore esse non possit, l. si ut certus, §. si duobus. ff. commo-dat. l. 3. §. ex contrario, ff. de acquir. posses. dubium est, an dominium rerum Ecclesiæ sit penes Ecclesiam ipsam, an penes pauperes? In qua questione varie sunt interpretum sententiæ. Prima fuit Hugonis relata à Glossa in cap. causa 13. de verb. sign. Abbatis in cap. cum esses, num. 19. de ressam. existimantium, dominium rerum Ecclesiæ esse penes Deum, juxta illud Psalmi 23. *Domini est terra, & plenitudo eius; referturque in cap. quo jure, 8. dist. cap. una 26. vers. Cum enim, de decimis: quæ sententia probatur ex cap. cum ex eo 34. vers. De Christi patrimonio, de elect. lib. 6. cap. cum secundum, vers. De patrimonio Jesu Christi, de præbend. cap. qui Christi pecunias, cap. qui abstulerit 6. vers. Ergo qui Christi, 12. q. 2. Sed hæc sententia merito improbatu à Sarmiento de redd. dist. 1. p. cap. 1. num. 22. ex eo præcipue, quia hoc dominium Dei universale est ratione creationis denihilo, gubernationis, & superioritatis, & non adversatur dominio directo, nec utili, jure gentium, & legibus humanis introducto; immò idem Domini sumus, quia Deus Dominus est, & ejus largitate bona habemus, cap. Salvator 8. vers. Quisquis 1. q. 3. & dicto cap. convenio 23. q. 8. Etiam alia secunda refertur opinio à Turrecrem. in cap. videntes 12. q. 1. num. 2. Sarmiento & aliis supra, num. final. nempe dominium rerum Ecclesiæ esse penes Romanum Pontificem: sed ab eisdem improbatu, & maxime, quia Pontifex non est dominus tantum rerum ecclesiasticarum, sed dispensator, ut con. x D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 4. in princip. x. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 1. ad 7. & aliis fundamentis supra adductis in cap. 1. de præbend. & quia si Summus Pontifex illorum bonorum dominus esset, posset omnia ecclesiasticarum bona liberè, & ad libitum alienare; sed hoc facere non potest, ex cap. non liceat Papa 20. 12. q. 2. ergo non est penes eum dominium rerum ecclesiasticarum, Kædque tertiam opinionem refert Glossa in dicto cap. expedie 12. q. 1. & Glossa in dicto cap. causa, Carpenus de verb.*

sign. verbo Solis; nempe prædictum dominium rerum ecclesiasticarum esse penes pauperes: pro qua sententia primò facit noster textus vers. *Egentium substantiam rapiunt.* Secundò facit textus in dicto cap. expedie, vers. *Pauperibus; quæ etiam probant caput futuram 15. vers. Ad fovendos egentes, caput Episcopus 23. 12. q. 1. caput decima 66. vers. Decima tributa sunt egentium animarum: caput finale, vers. Quicquid habent clerici, pauperum est, 16. q. 1. & confirmatur ex Novella 36. Justin. sub tit. C. de sacros. Eccles. vers. Ea autem omnia deferuntur Ecclesiis, ut in pauperum educationem distribuuntur.* Ex quibus verbis aperte colligitur, Ecclesiam mendium esse, per quod pauperes acquirunt tale dominium. Sed hæc sententia similiter improbatu à Turrecremata, & communiter in dicto cap. videntes num. 2. Sarmiento cum relatis ab eo à num. 17. tum quia eâ admittâ sequeretur, pauperes non posse committere furtum in rebus Ecclesiæ, & clericorum, nec ipsos clericos dando elemosynam pauperibus eam virtutem charitatis exercere, sed potius jus suum illis reddere. Tum etiam quia bona Ecclesiæ sunt destinata ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, cap. bona 74. cap. Vultetana 25. 12. q. 2. quare non est major ratio, cur dominium eorum sit potius penes pauperes, quam penes ministros Ecclesiæ. Accedit, quia pauperes incertæ personæ sunt, siquidem certâ lege eorum qualitas non reperitur definita: unde apud illos tanquam penes singulos non potest residere, l. apud 20. ff. de opt. leg. l. nulli 28. C. de Episcop. & Cleric. nec apud ipsos tanquam universos, quia pauperes non constituunt universitatem, seu collegium, ut probat Sarmiento ubi supra, num. 19. Nec contrarium probatur in hoc textu, ibi: *Egentium substantiam rapiunt;* nam respondetur jura hæc non esse intelligenda quoad dominium, sed quoad debitum; nam eam bonâ illa donata à fidelibus Ecclesiæ ipsa Ecclesia retineat ad sustinenda onera divinò cultui necessaria, ut ex his bonis, quæ supersunt, debeat pauperibus elemosyna erogari, cap. final. 12. q. 1. merito illorum bonorum patrimonium dicitur pauperum, ut docent Navarrus in apolog. q. 1. monit. 21. latius Sarmiento supra, num. 20. His ergo, & aliis sententiis omissis dicendum est, dominium rerum Ecclesiæ residere penes Ecclesiam illam particularem cui talia bona applicata sunt pro dote, ut suadetur ex dicto cap. inter 16. q. 3. dicto cap. expedie, dicto cap. causa: non autem est dominium penes Ecclesiam universalem, & multò minus penes Ecclesiam materialem, seu lapideam, prout muris comprehenditur, ut probant Turriterem. & Sarmiento ubi præximè. Molina lib. 1. de primog. cap. 10. num. 44. P. Molina tract. 2. de justitia, dist. 142. Nec persona aliqua singularis habet dominium, sed sola communitas; persona autem singularis, non ut talis, sed ut pars, & membrum communitatis, habet in ipsis rebus jus utendi ad sustentationem, cum hæc tamen differentia, quod alius est tantum membrum simplex, ut Canonicus, & illud tantum habet usum; alius verò est membrum principale, & caput totius communitatis, ut Episcopus, qui habet dispensationem, & distributionem, ut docet Corjolanus in notis ad Concilium Viennense, in addit. summa, fol. 93.

(c) *lritia*

(c) Irrita habeatur. Pro quorum verborum expositione sunt qui existimant, recipientes rem Ecclesiæ à Principe, privati omnibus rebus iuste, vel iniuste ab Ecclesia obtentis: ita Joan. Andress, Abbas Siculus, & Panoromit, in præfenti. Sunt etiam qui distinguunt, an ex motu proprio Principis fluxerit concessio ipsa, an ex importunitate petentis? Ut si motu proprio emanaverit, irrita tantum fiat concessio; si vero ex importunitate, omnibus Ecclesiæ bonis privetur. Sed verius Innocentius, & Berojus in præfenti docuerunt, relatis verbis declarari irritum esse contractum super rebus Ecclesiæ auctore Principe celebratum, ut solet irrita declarari quæcumque alienatio sine subscriptione, & consensu clericorum facta, cap. 1. junctis traditis, de his que sunt à Pralat. Quæ sententia confirmatur ex cap. quicumque 4. 12. q. 2. &c. ex ea provenit, ut Ecclesiæ possit propria bona vindicare, & repetere à quocunque possessore, juxta textum in cap. si quis 6. hoc ut. Nec dicas, frustra statui nullitatem hanc in præfenti, cum ipsa jam statuta reperiretur in dicto cap. 1. cap. sine except. 12. q. 2. nam opportune talis nullitas ad alienationem auctore Principe factam protrahita fuit, ne ita recipientes bona Ecclesiæ à Principe, falsò existimarent se tutos esse, actione tantum concessa Ecclesiæ in Principem, exemplo textus in l. bene à Zenone 3. C. de quadrienn. præscript. Nec contrarium probatur in cap. de rebus 22. 12. q. 2. In illis verbis: Ipse sit Princeps pro emendatione redarguendus. Nam licet Nicolaus ibi asserat, Principem bona Ecclesiæ dissipantem increpandum esse, non tamen negat actionem competere Ecclesiæ adversus invasorem, & possessorem rerum ipsius; sed hac actione concessa docet Pontifex arguendos esse, tam Principem concedentem, quam accipientem bona Ecclesiæ de manu illius.

(d) Communione Ecclesiæ. Quæ verba ita sunt exponenda, ut excommunicationis mucrone sentiantur recipientes à Regibus bona Ecclesiæ. Non tamen levis difficultas est, an ipso jure ita recipientes excommunicati maneant, an verò sententia judicis præcedere debeat? Et ipso facto eos excommunicatos esse, probatur ex eo, quia invasores rerum Ecclesiæ ipso jure excommunicationem incurrunt, cap. canonica 107. II. q. 3. cap. omnes 9. 17. q. 4. cap. conqueisti 22. de sentent. excom. Contrarium verò, immò à iudice sententiam esse proferendam, deducitur ex præfenti textu, ibi: Arceatur, junctis traditis à Glossa finali in cap. grave, de excess. Pralat. Castro lib. 2. de lege pœnali, cap. 7. Tiraquel. in l. si unquam, verbo Reverentur, num. 39. C. de revoc. donat. Suario de censur. dispus. 3. sect. 7. & faciunt textus in cap. conqueisti 16. de foro compet. cap. nulli 3. cup. indigne 21. cap. de rebus 22. 12. q. 2. Sed pro hujus dubii solutione distinguendum est; aut enim cum violentia sit rerum Ecclesiæ invasio, & tunc ipso facto excommunicatio incurritur, juxta textum sic intelligendum in dicto cap. omnes; aut sine violentia sit distractio, & opus est sententiæ judicis, juxta præfentem textum, & similes; quatuor distinctionem probant Navarretis in manuali, cap. 17. num. 95. Salcedo in praxi cap. 87. littera D. & latè de hac excommunicatione agunt Azor 1. p. insu. lib. 9. D. D. Gonzal, in Decretal. Tom. III. Pars I.

cap. 27. quæst. 10. Suarez de censur. dispus. 22. sect. 17.

COMMENTARIUM.

EX præfenti canone Concilii Lugdun. sequens communiter deducitur assertio: Peccator, seu recipiens à Principe seculari bona ecclesiastica, illi privatur, & excommunicari debet. Probant eam textus in cap. quicumque 4. vers. Prædia, cap. de rebus 22. vers. Concessionis, 12. q. 2. cap. in canonibus 57. 16. q. 1. cap. tua 25. cap. dudum 31. de decimis, cap. placuit 16. q. 3. extravag. unic. vers. Si quis à te 2. hoc ut. cap. si quis deinceps 12. cap. quoniam 13. 16. q. 7. cap. cum & plantare, vers. Ecclesias igitur, de privil. Concilium Parisiense 3. can. 1. Concilium 6. Romanum sub Symmacho, ibi: Valde iniquum ergo, & ingens sacrilegium est, ut quæcumque vel pro remedio peccatorum, vel salute, vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his à quibus hæc maxime servari convenit, id est, Christianis, & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus & primis regionum, in alius transferri, vel converti: propterea qui hæc non præderit, & aliter quam scriptum est, prædia Ecclesiæ tradita petierit, anathemate feriatur. Trident. sess. 22. de re form. cap. 11. Nicolaus in epistola 1. ad Michael. Imperat. ibi: Irrationabilis est, ut ecclesiastica possessio, unde luminaria, & concinnationes Ecclesiæ Dei fieri debent, terrenam quavis potestate subtrahatur. Et epist. 63. ad Aquitanos, ibi: Similiter autem & de his hortamur à vobis fieri, quæ Reges quomodocunque à sanctis locis aliquo tempore abstulerunt, quod justum non fuit nec est; & quisquis hæc sibi vindicat, Deum inde habebit judicem & uitorem. Hinc marus Rheimensis ad Ludovicum Regem Francorum, cap. 4. ibi: Sunt qui dicunt (ut audivi) quia res Ecclesiastica Episcoporum in vestra sine potestate, ut quicumque volueritis, eas doneis; quod sita est, ille malignus spiritus, qui primò parentes nostros perdidit, perditionem vestram in aures vestras susurrat. Alia juris testimonia congerit Antonius Augustinus in epist. jur. lib. 15. tit. 32. Illustrant ultra congestos à Cenedo ad Decret. collect. 71. Barbosa, & Garanna in præfenti, Cujacius hic, Baronius anno 541. num. 58. Severinus Binius in notis ad Concil. Arvern. Petrus Gregorius lib. 33. syntagm. cap. 16. Suarez adversus Regem Angliæ lib. 3. cap. 7. & de legibus lib. cap. 34. Salas eodem tract. dispus. 14. sect. 8. Valenzuela in defens. contra Venetos, 1. part. ex num. 50. Germonius in defens. libertatis Ecclesiastica, Cardoso in praxi, verbo Sacrilegium. Menochius de arbitrar. lib. 3. casu 389. Gregorius Lopez in lege 26. glos. 6. tit. 29. partit. 3. & in l. 53. glos. 3. in princip. tit. 5. partit. 5.

Sed adversus hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo: Quotiens Princeps secularis rem alienam donat, vel in alium transfert, non competit vindicatio vero domino contra possessorem, sed ipse habet actionem intra quadriennium adversus Regem, seu Principem l. 2. l. bene 3. §. final. vers. sed adversus, C. de quadrienn. præscript. Ergo similiter Ecclesiæ bona sua à possessore repetere non potest, sed tantum intendere actionem in ipsam Principem.

Conclusio traditur & probatur.

Impugnatur prædicta assertio

Deinde etiam insurgo in eam partem presentis assertionis, ubi asseritur recipientem bona Ecclesie, non solum ea restituere cogi, verum & excommunicari; & sic argumentor: Quando recipiens bona ad eorum restitutionem obligatur, restitutione ejus, quod recipit, liberatur, *cap. nulli 3. vers. Usque ad emendationem. Ecclesieque satisfactionem, cap. quicumque, vers. Nisi eadem pradia Ecclesie restituerit; cap. indignè 21. vers. rei usurpatus 12. g. 2.* late illustrat perdoctus Pater Theophilus Raynaud. *tom. 12. tract. mala è bonis Ecclesie, Sc. fol. 42.* Ergo non recte in presenti docetur, recipientem bona Ecclesie à Principe seculari, ea restituere teneti, & simul excommunicari.

7.
Adducitur
ratio deci-
doni.

Adhuc tamen defensiva est presentis assertio, quæ cum duplicem contineat partem, duplici nititur ratione. Et prioris partis assertionis vera ratio provenit ex vulgari juris principio, quo docetur, neminem posse dare quod non habet, *cap. Daibertum 24. 1. g. 7. l. traditio 20. ff. de acquir. domin. cap. nemo 74. de reg. jur. lib. 6. l. v. mo 54. ff. eod. tit. cap. quod autem 5. de iure patron. sed laici, etiam seculares Principes, nullam potestatem habent in rebus ecclesiasticis, cap. 1. cap. denique 5. cap. si Imperator 11. 96. dist. cap. que in Ecclesiarum 7. cap. Ecclesia 10. de constit. cap. quamquam 4. de censibus in 6. junctis traditis à Patre Suarez in *defens. fidei, lib. 2. cap. 3. & 8.* ideo Principes seculares ex defectu potestatis nequeunt de rebus ecclesiasticis disponere, & per consequens in presenti recte docetur, quamlibet alienationem bonorum Ecclesie factam à Principe seculari nullam esse. Quando autem debeant Principes se abstinere à bonis Ecclesie, eorum invasione, seu distractione, doctè probant Bernegerus *ad Tacium g. 18.* D. Joannes Solorzanius *embl. 40. per totum.* Secundæ verò partis presentis decisionis ratio provenit ex eo, quia recipiens bona Ecclesie à Principe seculari, sacrilegii particeps est, *cap. qui rapit 18. 17. g. 4. æquiparaturque raptori, cum idem sit rapere, ac injustè detinere, cap. sepe 18. vers. Eo quod non multum interest, de restitu. spol. cap. de rebus 12. g. 2.* sed sacrilegus excommunicatus manet, *cap. conquestus, cap. cum sit generale, de foro compet.* Ergo merito in presenti statuitur, recipientem à Principe seculari bona Ecclesie, excommunicandum esse, id est, privandum à communione fidelium, non solum illius Ecclesie, cui bona Ecclesie Catholica, & universalis, quæ dicitur communio fidelium, dicto *cap. nulli, dist. cap. quicumque, dist. cap. de rebus 12. g. 2.* quoniam quando una Ecclesia spoliatur, & læditur, universalis Ecclesia offenditur, quæ una est, *cap. loquitur 18. 24. g. 1. juncto cap. 2. de foro compet. docent in presenti Immola num. 2. Abbas num. 5. Berojus num. 18.**

8.
Responde-
tur difficul-
tatibus.

Nec obstat prima difficultas deducta ex dicta *l. 2. distal. bene à Zenone*; quia regula ibi proposita varias patitur limitationes, quas late profequitur Hermosilla in *5. part. tom. 2. fol. 237.* inter quas illa præcipua recensetur, videlicet, ut non procedat in bonis Ecclesie à Principe datis, vel donatis; tum ob defectum potestatis in ipso Principe largiente; tum quia ut regula dictæ legis bene à Zenone, locum habeat, desideratur bona fides in ipso Principe res alienas possidente: sed Princeps dum distrahit res Ec-

clesie bonam fidem habere nequit; ergo non potest eo casu habere locum remedium dictæ legis bene à Zenone. Accedit, quia regula illius textus locum non habet in rebus minoris, *Glossa verbo Debiti, in l. final. C. si adversus fiscum ubi Baldus num. 6. Duennas regul. 238. limit. 10.* Sed Ecclesia fruitur jure minoris, *cap. 1. cap. auditis 3. de in integr. restituit.* Ergo nec in bonis Ecclesie remedium illius textus locum habet. Nec obstat secunda difficultas supra adducta; nam in presentis specie recipiens bona Ecclesie à Principe seculari, non solum bona ipsa restituere debet, verum & excommunicari potest propter crimen sacrilegii, quod committit in ipsa usurpatione, & detentione bonorum Ecclesie: quare justè, ut cæteri fideles deterreantur à simili invasione, in presenti statuitur, recipientem bona Ecclesie à Principe seculari communione fidelium privari.

Suprà traditis obstat textus in *cap. si tributum 27. 11. g. 1.* in illis verbis: *Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum.* Ex quibus deducitur, Principem secularem dominum esse prædiorum Ecclesie, siquidem vindicatio tantum vero domino competit, *l. in rem 23. ff. de rei vind.* Igitur si Princeps habet verum dominum rerum Ecclesie, quilibet privatus poterit eas impunè recipere ab ipso. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, Divam Ambrosium verba illa proferre, non animo approbandi factum Principis, sed tantum finendi, & tolerandi illum, ut constat ex illis verbis, *Imperator non dono, sed non ego.* Ut autem hæc interpretatio facilius probeatur, sciendum est, temporibus D. Ambrosii Imperium obtinuisse Valentinianum cum matre sua Justina, quæ Arrianâ hæresi infecta erat; hæc autem ditam invexit in Ambrosium, & reliquos Catholicos Ecclesie Mediolanensis persecutionem, ut referunt Baronius *tom. 4. anno 387. num. 1. & ex eo Diana p. 7. tract. 1. resolut. 19.* Paulinus in *vita Sancti Ambrosii*; ei verò vehementer restitit Ambrosius, ut constat ex dicto *cap. convenior*, asserens res Ecclesie Imperatori tradi posse, tributumque ex eis solvi, ingruente illâ persecutione; Ecclesiam tamen ipsam Imperatrici Arrianæ tradendam non esse, quia Christi hereditas est: unde verba supra relata non sunt accipienda de justa, & legitima vindicatione, sed de injusta, quæ ex usurpatione proficiscitur. Vindicatio enim nonnunquam sumitur pro usurpatione, & petitione, *l. ex imperfecto 23. de legat. 3. l. per diversus 12. C. mandati*; notarius Alciatus in *l. 1. num. 1. ff. de legat. 1.* Osvaldus *ad Donellum lib. 20. com. cap. 1. litter. A.* unde in dicto *cap. si tributum*, nullo modo affirmat D. Ambrosius, jure posse Imperatorem bona Ecclesie sibi vindicare, sed potius si ea petierit, patienter reddenda esse; quia enim fides catholica per aspersionem illius, ac viperæ malignitatem periclitabatur; intentus in fidem tuendam sanctus Ambrosius, præ fidei dispendio, quod imminebat, professus est, se negligere temporalia damna, ut post Baronium anno 387. notarunt Theoph. *tom. 12. tract. mala è bonis Ecclesie, cap. 2. num. 1.* Germonius *lib. 3. de sacror. immunis, cap. 13. num. 37.* Martha de *jurisdic. p. 1. num. 47.* Jacob. Durant. *lib. 2. var. cap. 8. & nos alibi.*

Huic commentatio adjungi possunt ea quæ de

de Ecclesiis, de manu laici non recipiendis con- mis à Regibus obtentis adduxi in cap. prohibemus, gressi in cap. quinquies, de elect. & ea quæ de deci- de decimis.

CAPVT III.

Ex Concilio (a) Toletano.

Consensus totius Concilii diffinit, ut Sacerdotibus, qui aut res suas Ecclesiæ crelinquunt, aut nihil habentes, aliqua tamen prædia, aut familias Ecclesiis suis conquirunt, liceat aliquos de (b) familiis Ecclesiæ ejusdem manumittere, juxta rei collatæ modum, quem antiqui (c) canones decreverunt, ita ut cum (d) peculio, & posteritate (e) sua, si ingenui sunt, sub patrocínio Ecclesiæ mancant, (f) utilitates injunctas sibi, juxta quod potuerint, prosequentes.

NOTÆ.

(a) *Oletano.* Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 4. & apud Burchardum lib. 3. Decret. cap. 117. Ivonem 3. p. Decret. cap. 218. apud Gratianum in cap. Episcopus 12. q. 2. atque in ipso Concilio Tolet. 4. can. 68. reperiuntur verba hujus textus. Concilium hoc celebratum fuit sub Justo Toletano Præsule, anno 3. Sifnandi Regis Gothorum, 5. die mensis Decembris, era 671. id est, anno Domini 633 in Ecclesia Sanctæ Leocadiæ Virginis & Martyris, ubi congregati fuerunt Episcopi 66. cum ipso Rege, ut referunt Loayla in notis ad ipsum, Villadiego in historia Reg. Goth. num. 27. Sahabedra in chron. Goth. in vita Sifnandi. Fuit celebratissimum hoc Concilium: tum quia inter fuerunt Sanctus Hidorus, Justus, ac Julianus: tum etiam quia in eo gravissima negotia, tam Ecclesiæ & rerum spiritualium, quam Reipublicæ, & rerum temporalium decisa fuerunt; & ut alia omittam, in eo Concilio tacta fuit collectio legum libri Forti Judicium, ut referunt Villadiego, & Sahabedra ubi proximè.

(b) *De familiis.* Videnda sunt quæ notavi in cap. de familiis, de servis non ordin.

(c) *Antiqui canones.* Hæc verba referri non debent ad canonem relatum in cap. Episcopus qui mancipium 12. q. 2. nam si de eo præsentissent Patres, dicerent canones priores, ut fecerunt in canone 70. hujus Concilii. Referenda ergo sunt hæc verba ad canones Concilii Agath. relatos in cap. Diaconi, cap. si quis in qualibet 12. q. 2. Concilium enim Agathense præcessit Concilium hoc Toletanum; siquidem celebratum fuit sub Sixto VI. anno 443.

(d) *Peculio.* Speciale enim est in servis Ecclesiæ, quod ipsis manumissis non censetur peculium concessum, Concilium Tolet. 9. can. 16. quoniam in eorum manumissione non licet Ecclesiæ eidem libertis dare ultra summam 20. solidorum, cap. si post. 12. q. 2. docent Berojus hic, num. 21. Redoanus de rebus Ecclesiæ, in v. h. rec. §. manumissio, num. 21. Gregorius Lopez in

l. 90. tit. 18. part. 3. contrarium verò observatur in libertis privatorum, circa quos discrimen versatur inter libertatem aditam in ultima voluntate, & præstitam inter vivos; nam si detur inter vivos, peculium censetur concessum; si verò in ultima voluntate, nisi specialiter detur, censetur ademptum, l. si Suelo 53. ff. de peculio, l. si cum optio 14. ff. de optio. l. si legatum 24. ff. de pecul. legat. l. unica, C. de peculio ejus qui libert. §. peculium, Insti. de legat. juxta quam distinctionem accipiendi sunt textus in l. donationes 23. §. pater 2. l. ad eum 35. ff. de donat. l. si quis servus 18. l. si servus 32. l. quod servus 35. ff. de solut. l. quos 29. ff. de contrab. emp. l. 2. §. servus, ff. pro empore, l. final. C. de emancip. liberor. l. si servus 39. de iure dotum, l. post 6. §. 1. ff. de liber. legat. l. 6. §. vicario, l. 15. & l. 19. §. 1. ff. de pecul. legat. l. final. de manumiss. vindict. l. 6. §. 17. ff. de pecul. l. si per imprudentiam 51. ff. de eccl. l. Marini 66. ff. de legat. 2. l. Offidius 97. l. servus 99. in fine, de legat. 3. l. generaliter 24. §. si 2. ff. de fideicommiss. liberi, l. 10. ff. de manumiss. testam. l. 23. §. 1. ff. de statut. l. 10. ff. de pecul. legat.

(e) *Posteritate.* Speciale etiam est in libertis Ecclesiæ, ut etiam eorum liberi nati post manumissionem parentum remaneant sub patrocínio ejusdem Ecclesiæ, ut expressè probatur ex cap. de libertis 12. q. 2. & docent hic Abbas num. 6. Immo num. final. Berojus num. 14. qui asserunt prædictos Ecclesiæ libertos, eorumque filios remanere in Ecclesia ad præstandas eidem operas serviles ipso jure impostas.

(f) *Utilitates injunctas.* Consonat Concilium Aurelian. ubi statuitur, ut liberti, quos Sacerdotes, Presbyteri, vel Diaconi de Ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus Ecclesiæ prosequantur; quod si facere contempserint, ad pristinum servitium revertantur. Quid est autem actus Ecclesiæ prosequi, nisi commodis Ecclesiæ invigilare, & promissas ei operas strenuè exequi, ut exponit Lemaitre lib. 2. de bonis Ecclesiæ, cap. 10. Circa libertos verò laicorum, eorum operas, & successionem, plura dabimus in cap. 2. de success. ab intestato.

CAPVT IV.

Ex Concilio (a) Toletano.

EPiscopi qui nihil ex proprio suo Ecclesie Christi conferunt, liberos ex (b) famulis Ecclesie ad condemnationem suam facere non presumant. Impium enim est, ut qui res suas Ecclesie Christi non contulerit, damnnum Ecclesie inferat. Tales igitur liberos successor Episcopus absque aliqua oppositione ad jus Ecclesie revocabit.

NOTÆ.

(a) **T**oletano.] Quarto videlicet, *can. 67. ex quo verba hæc transcripserunt Burchardus lib. 3. Decret. cap. 189. Ivo Carnot. p. 3. cap. 219. Gratianus in cap. etsi illi 12. q. 1. Bernardus Papiensis in 1. collect. sub hoc tit. cap. 5.*

(b) **Famulis.**] Senfamiliis, ut notavi in cap. 3. de servis non ordin.

COMMENTARIUM.

EX his duobus Concilii Tolet. canonibus sequens deducitur communiter assertio: Si Prælati Ecclesie tantundem dederit, vel acquisierit Ecclesie, ejus servos manumittere est, alias si manumittat, revocabitur libertas per successorem. Probant eam textus in cap. injustum 55. cap. si quis in qualibet 56. vers. Tantum quantum, cap. Episcopus qui 58. cap. liberi 61. cap. de liberis 63. cum duobus sequentibus, cap. quicumque 66. 12. q. 2. cap. si Episcopus 5. in fine, vers. Nisi tantundem 12. q. 5. Concilium Hispal. 1. can. 1. ibi: Si res prædeservis tui Gaudenti Episcopi Ecclesie vestra non possidet, liberi qui ab eo facti sunt, non sunt legitime absoluti. Ceterum si res illius in compensationem Ecclesie vestre deseruiunt, illi profus maneat liberi. Et can. 2. ibi: Ea verò mancipia, quæ memoratus de jure Ecclesie sua subtrata suis proximis contulit, si similia de proprio suo Ecclesie ipsi non compensavit, Ecclesie vestra absque aliqua oppositione recipiat. Concilium Emeritense can. 20. ibi: Multi sacerdotes, prout illis concessit divina gratia, habent unde canonicum ordinem implerent, et sic libertos faciunt; et sunt multi, qui nihil habentes, ad hanc gratiam veniunt, et sic libertos facere presumunt: tales libertos regula canonica esse non jubet stabilitos. Cælatangust. 3. can. 4. refert Antonius Angustinus lib. 10. tit. 22. Concilium Aurel. 4. can. 9. Illustrant post congestos à Barbosa hic, Cujacius in præfati, Redoanus in tract. de rebus Ecclesie, §. manumissio. Rebuffus in compend. alienat. à num. 63. Chassaneus in consuet. Burg. rubric. 9. §. 9. Lemaitre de bonis Eccles. lib. 3. cap. 9.

2. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Manumissio alienatio est, l. lex que 22. C. de administr. tut. l. final. C. de rebus alienis: sed alienatio rerum Ecclesie non potest fieri sine juris solemnitate, cap. placuit 51. cum sequent. 12. q. 2. cap. 1. vers. Tractus solennis, cap. 2. hoc tit. lib. 6. Ergo Episcopus etiam tantundem elargiendo Ecclesie non potest ejus servos manumittere. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, quia si Rector Ecclesie ejus servos manumiserit, non tantum eorum æstimationem,

verum & duplum præstare cogitur, cap. Episcopus qui mancipium, 12. q. 2. juncta l. 7. tit. 14. part. 1. Ergo non sufficit tantundem præstari ab Episcopo, ut servos Ecclesie manumittere possit. Secundò difficilis est alia pars assertionis, ubi assertitur, servos injuste manumissos ab Episcopo, per ejus successorem cum posteritate revocari ad servitutum; nam minor, & Ecclesia æquiparantur, cap. 1. cap. auditus 3. de in integr. restit. sed libertas injuste à minore data semel, non revocatur, l. si ex causa 9. §. final. ff. de minor. l. 1. §. 2. C. si aduersus libert. l. scilicet 10. l. si cui 5. C. de liberal. causis. Ergo nec ab Ecclesia ieiuncta data libertas revocari potest.

Adhuc tamen defensiva est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, servos Ecclesie, quos frequenter fideles Ecclesie donabant, ut dicimus in cap. injustum 4. de rerum permutacione, extrinseci causa ab Ecclesia Prælati manumitti solet. Prima, quia ipsi fugitivi essent, & iniuriales, dominosque magis torquebant, quam iuarent. Concilium Agathense can. 46. ibi: Fugitivi etiam domos suas deserentes, qui etiam si revocati fuerint, teneri non possunt, simili ratione ab Episcopo, si voluerit, aut si ita illi meruerint, distrabantur. Si enim servus fugitivus peculium haberet satis pingue, quo se posset servitutis oneribus eximere, facile adducebantur Episcopi, Abbates, ac Presbyteri, ut accepta pecuniâ libertatem præstarent, ut ex veteri charta cujusdam manumissionis probat Lemaitre lib. 3. de bonis Eccles. cap. 9. Secundò servi Ecclesie olim ab Episcopis manumittebantur læpius, ut sacris ordinibus initiarentur. Concilium Emerit. can. 74. de qua manumissionem egi in cap. 1. de servis non ordin. Tertia ratio manumittendorum servorum Ecclesie fuit liberalitas, & beneficentia Episcoporum, qui servos suos benemeritos, sive testamento, sive inter vivos manumissione donabant; non verò cuiuslibet Episcopo, seu Prælato licebat servos Ecclesie pro arbitrio manumittere; qui enim patrimonium non habebat, nec poterat ex sua substantia supplere, aut Ecclesiam hæredem relinquare, non poterat servos Ecclesie ad pileum libertatis vocare. Qualiter verò de causa manumitterentur servi Ecclesie, necesse erat perpetuò in patrocinio Ecclesie contineri; nam absolutam & perfectam libertatem Episcopus dare non poterat, nisi pro compensatione duo mancipia ejusdem valoris Ecclesie præstaret manumissis, ex textu præfati; formula verò manumittendi servos ex fragmento Concilii Tolet. 1. relato à Burchardo lib. 2. Decret. cap. 31. Carnotensi p. 6. Decret. cap. 133. petenda est, ibi: De Ecclesie

1. Conclusio traditur, et probatur.

2. Impugnatur traditur assertio.

4. Dicitur illi res Ecclesie

3. De Manumissione servorum Ecclesie

Barbosa

param vero servus communi sententia est decre-
tam, ne Archiepiscopi per singulas provincias
confutis nostram auctoritatem sequantur, Suffra-
gani vero illorum exemplar illius penes se habent:
Et quodcumque de familia Ecclesie utiliter inven-
tus, aliquis, ordinandus est, in ambone ipsa auctori-
tas eorum populo legatur, & coram sacerdotibus &
omni clero, ante cornu Altaris, sicut in nostra au-
thoritate continetur, remota qualibet caliditate li-
bertatem consequatur, & tunc demum ad gradus
ecclesiasticos promovetur. Ex quibus verbis appa-
ret, quod cum servus Ecclesie manumitte-
batur, primò solebat charta manumissionis
Episcopi auctoritate confici. Deinde legebatur
instrumentum illud bis in Ecclesia: primò ex
ambone, seu suggestu, ut populus audire pos-
sit: secundò ante cornu altaris, ut sacerdo-
tes & clerici in sacrificio inclusi eam exaudire
possent. Quem manumissionis ritum ad ser-
vos manumissiles, ut sacris ordinibus initia-
rentur, rectè restringit Lemaitre dicto lib. 3.
cap. 10.

ac in sedem sibi creditam successerit, per Clerum,
aut domesticos perquirere procurabit, quos prae-
cessores Episcopi de familia Ecclesie manumissionis
gratulaverunt, ut eodem Pontifice promouente, ipsi
liberti chartulas suae libertatis representent, quali-
ter nec liberti Ecclesie, de institutione canonum igno-
rantes se esse, prohibeant; ne sacerdotis callida vo-
luntas pateat.

Quibus ita animadvertis apparet vera ratio
praesentis decisionis, quae nititur eo principio,
quo docemur faciendum esse quod nobis non
nocet, & aliis prodest, l. 2. C. de pignori-
bus, l. 2. §. item, vers. Quamquam, ff. de aqua pluvia:
est enim aequissimum, ut Ecclesiarum rectores,
qui bona sua eidem Ecclesie donant, possint
ipsarum Ecclesiarum servos manumittere, jux-
ta rei collatae modum, cum exinde nullum
damnum sentiat Ecclesia, & servi ad libertatem
perducantur. Econtrario vero iniquum est, ut
Praelati, qui nihil Ecclesie attulerint, ejus
servos manumittant, cum non habeat Ecclesia
unde damnum ex eorum manumissione irro-
gatum compensare possit: quare rectè in praesenti
docetur, libertatem praestitam ab Episcopo,
qui nulla bona propria Ecclesie contulit,
seu donavit, ab ejus successore revoca-
ri posse.

Deinde scire oportet, quibus legibus vive-
rent liberti Ecclesie, postquam libertatem erant
affecti? Et imprimis curavit Ecclesia, ne be-
neficium injuria rependerent, & irreverentia,
fallive majestatem Ecclesie laederent; à qua &
salutem sperabant, & acceperant libertatem:
unde in Concilio Hispanensi, can. 8. actum est
de superbis Ecclesie libertis, ut ad servitutem
revoceatur, cujus canonis verba omitto, qui-
bus aequissimi Patres maendam recidivam servi-
tute censent Elhai cuiusdam ex familia Aga-
brensis Ecclesie superbiam, qui libertatem asse-
ctus, de morte Episcopi cogitaverat, Deinde
oportuit libertos Ecclesiarum una cum eorum-
dem libertis infra annum ab inauguratione novi
Episcopi sistere se coram ipso, & chartam in-
genuitatis, ac manumissionis tabulas apud eun-
dem proficere: quod certe inventum ab Eccle-
sia, ne lapsu temporis libertorum memoria in-
tercideret, & operis sibi debitis, atque obse-
quis Ecclesia tandem protius orbaretur. Ita
constitutum in Concilio Toletano 4. fuit, can.
70. ibi: *Liberti Ecclesie (quia nunquam moritur
eorum patrona) à patrocinio ejusdem nunquam dis-
cedant, neque posteritas eorum, sicut prio-
res canones decreverunt: ac ne forte libertas eorum
in futura prole non pateat, ipsaque posteritas na-
turali ingenuitate obtinens, sese ab Ecclesie patro-
cino subtrahat, necesse est, ut tam videm liberti,
quam ab eis progeniti professionem Episcopo suo fa-
ciant, per quam se ex familia Ecclesie liberos effe-
cti esse fatentur, ejusque patrocinium non relin-
quant; sed iuxta virtutem suam obsequium ei, vel
obedientiam praebeant. Quare si in hac parte pec-
caverint liberti, ut ingrati revocabantur in servi-
tutem, ut constat ex canone 4. Concilii Cae-
saraugusti 3. ubi in parte hac severitas tem-
peratur his verbis: Quia ergo comperimus, quos-
dam Pontifices potius iura sua ampliare studentes,
quam de mercedis opere Domino placitis, liberos,
quos ex familia Ecclesie à suis praedecessoribus inven-
imus, pro eo quod libertatis suae chartulas infra
constitutum tempus non representent, statim eos in
propriam servitutem redigere; unde hoc pietatis
studio generali modo subrogamus beneficium, ut si
videm liberti forsitan ignoraverint ordinem canonum,
aut certe, ut ad soles fieri, ad praestandas liberta-
tes suas sequerint, ipsius Pontificis sollicitudo mox*

Nec obstat prima difficultas supra expen-
sa ex dicto cap. sine exceptione, cum similibus.
Nam respondetur, in praesenti specie non desi-
derari solennitatem in aliis alienationibus re-
rum Ecclesie praescriptam, quia in praesenti
agitur de alienatione, quae juris auctoritate ce-
lebratur: unde ultra requisita à sacris canoni-
bus alia solennitas non desideratur. Nec con-
trarium deducitur ex cap. Episcopus qui manumit-
tum 12. quest. 2. & in praesenti cap. Episcopus,
relato in illis verbis: *Subscribentibus.* Quia ea
verba referenda sunt ad eam in quo Episcopus
manumittere intendit servum Ecclesie,
non retento Ecclesie patrocinio; quo casu
aestimari debet, an bona donata ab Episcopo
sufficiant non solum pro servo, verum pro
patrocinio penes Ecclesiam non retento.
Nec obstat secunda difficultas, pro cuius so-
lutione dicendum est, Episcopum solum ten-
neri tantum dare Ecclesie, quantum suffi-
ciat pro aestimatione servi manumittendi, ut
probat ex dicto cap. Diaconi 35. ibi: *De suo
proprio aliud tantum restituant: & dict. cap. si quis
in qualibet, vers. Tantum quantum, 11. q. 2. cap.
si Episcopus, vers. Nisi tantumdem 12. quest. 5.*
docent in praesenti Abbas & Barbo num. 5. Im-
molatum, 7. Nec contrarium probatur in Con-
cil. Tol. relato in dicto cap. Episcopus qui, & in
praesenti: nam discrimen est assignandum inter
casum, in quo Episcopus manumittit servum
Ecclesie, nullo reservato Ecclesie patrocinio;
& inter eum, in quo juspatronatus Ecclesie re-
servavit. Primo casu sufficit tantum Ecclesie
conferre, quantum servus manumissus aestimari
poterat; quia dominium ejus per manumissio-
nem Ecclesie amittit. Secundo vero casu aesti-
mari debet non solum dominium servi, verum
& juspatronatus: quod post ejus manumissio-
nem ab Ecclesia factam penes eam remansurum
erat, ut contingit in servo alieno ab Episcopo
scienter ordinato; nam qui ita ordinavit, tenetur
restituere domino duplum, pro servo videlicet
ipso, & pro juspatronatus, cap. si servus 20.

Ratio deci-
dendi.

Responde-
tur diffi-
cultatibus.



54. dist. Nec obest secunda difficultas deducta ex dicta l. si ex causa 9. §. finali, cum similibus. Quia responderetur, jura illa procedere quando manumissio ipso jure valida est; tunc enim regulariter semel libertas competens revocari non potest, §. *semel, Insti. quibus ex causis manumit.* l. 3. C. si adversus libert. docent Pacius cent. 2. quest. 19. Costa lib. 1. select. cap. 22. Sarmiento lib. 1. select. cap. 6. num. 22. Cabretos de metu lib. 2. cap. 34. num. 54. qui exponunt textus in l. Papinianus 8. §. plane, ff. de noffios. l. cum vero 26. §. 8 ff. de fideicommiss. libert. l. si cum 16. §. Aristo ff. qui est a quibus, l. metum 9. §. idem, ff. de eo quod a metus causa, l. ex falso 37. ff. de manumiss. testam. At vero cum libertas ipso jure non competit, quia ab initio nulla fuit, recte revocatur, quatenus de facto data fuit: unde in presenti specie, quando Episcopus nihil de bonis propriis contulit Ecclesie, quia ab initio libertas impeditur, ideo etsi de facto præstetur, revocari potest per successorem.

7. Exponitur textus in cap. si quos 57. 12. 2. Sed adhuc supra traditis obstat textus in cap. si quos 57. ibi: Si quos de servis Ecclesie benemeritis sibi Episcopus libertate donaverit, collatam libertatem a successoribus placuit custodiri. Ex quibus apparet, Episcopos posse servos benemeritos manumittere, etiamsi de propriis bonis nihil Ecclesie contulerint. Cui difficultati ut satisfaciamus, dicendum est, textum loqui de manumissione servi benemeriti, qui non solum propter meritum in Ecclesiam impensa libertate dignus erat, verum & majori remuneratione dignus censebatur. Unde sicut Episcopo donanti, vel acquirenti aliquid Ecclesie permittitur servum manumittere, quoniam Ecclesie interest Prælatos ita ad donandum, & acquirendum allicere, etiam Ecclesie interest servos benemeritos manumitti, ut alii ad singulare servitium invitentur libertatis amore, cum redemptor cognique ecclesiasticis 12. q. 7. Accedit, quia quod benemerito præstatur, latè solutio est potius quam donatio, l. Aquilium 27. ff. de donat. l. sed est 25. §. consuluit, ff. de pecul. heredit. cap. per tuas, de donat. Unde nuntium non est, quod licet Episcopi alios servos manumittere non possint, benemeritos tamen rectè ad libertatem perducere valeant, ut in dicto cap. si quos, docetur.

8. Ex supra traditis licet accipit textus in can. 9. Concil. Tolet. 12. in illis verbis: Si sacerdos libertatem servis Ecclesie conferre voluerit, non à die consecrationis sua scriptura tempus annorum computatum tenebit, sed ex quo eum, qui scripturam conficit, veritus obuisse constiterit. Quæ verba difficilia valde sunt, dum non constat de quo tempore Patres loquantur, seu ad quod tempus illud ita enumeretur. Pro cuius textus expositione dicendum existimo, canonem illum esse accipiendum de libertate injustè præstita servis Ecclesie, ex eo, quod sacerdos, qui eos manumissit, nihil præstitit, aut Ecclesie acquisivit: & cum ita injustè manumissi defenderentur contra successorem sacerdotis, qui intendebat eos in servitutem revocare temporis præscriptione, statuunt Patres ut tempus hujus præscriptionis non currat à die chartæ libertatis confectæ, sed à tempore obitus sacerdotis injustè manumittentis, ut in eodem Concilio statutum erat can. 8. relato à Gratiano in cap. si sacerdotes 16. quest. 3. ubi docetur, à præscriptione tricennii tempus quoque subdu-

ci, quo is, qui alienavit, Ecclesie præstet; quod etiam jure civili procedit, nam filio, cuius res à patre alienata est, contra patris contractum venienti, non obstat tempus quo in factis pater fuit, quia agere ei liberum non erat, l. 1. §. ult. C. de annali excepte, Novel. 22. cap. 24. Postea tamen in Concilio Eminentensi, can. 20. statutum fuit, ut ita injustè manumissi nullà temporis præscriptione defendi possent, quin in pristinam servitutem revocarentur. Verba canonis hæc sunt: In primum canonum ordine institutum manet, qualiter Episcopi de familia Ecclesie libertos debeant facere. Multis etenim sacerdotes, prout illis concessit divina gratia, habent unde canonum ordinem implerent, & sic libertos faciunt, & sunt multi, qui nihil habentes, ad hanc gratiam veniunt, & sic libertos facere presumunt. Tales enim libertos regula canonica esse non jubet stabilis. Contingere etenim solet, ut postquam manumissor eorum ab hac discesserit luce, talis occurrat successor, qui aut Ecclesie familiam minime querat, aut per bonam voluntatem, vel negligentiam, hi, à quo nihil Ecclesie offerente liberi facti sunt, longo pro tempore libertos se esse defendant: atque eas libertates ita abscondunt, ut pro hoc querenti Episcopo laborem faciant. Talium si sit voluntas, licentia conceditur nulla; quia non poterunt, neque à servitio Ecclesie unquam discedunt; & pro his rebus in libertate permanere non poterunt. Sanctorum Canonum non abicienda sunt instituta, atque his, que implenda esse oportet, addimus nova. Placuit huic sanctæ Synodo, ut quisquis digne juxta canonicam regulam libertus fuerit factus, in libertate maneat, & à patrocinio Ecclesie ipso, aut posteritas ejus nunquam discedat. Quisquis vero non ut ordo canonicus possit, libertus fuerit factus, quamvis prolixitas temporis in scriptura sua textus inveniantur, quia à servitio Ecclesie nunquam visus est abscessisse, & canonica sententia rescindi jubet talem libertatem, ut ille, & posteritas ejus omnis in servitio maneat sanctæ Ecclesie, cui debita constant per veram originem. Illos vero per omnia stabili, in libertate esse instituumus, qui ab ipsis Episcopis liberi sunt, vel fuerint facti, qui de suo bona plurima sanctæ Ecclesie, in qua præsidet, per sua scriptura textum cognoscuntur contulisse. Et hi quamlibet habeantur esse stabiles, nullo modo rescindendi sunt à patrocinio sanctæ Ecclesie. Quod si contigerit eos, eorumque filios personis ingenuis esse conjunctos, & quandoque eorum posteritas patrocinium Ecclesie voluerit despicere, ex cuius familia per veram originem constat eos genitos esse, si ex his libertis trahunt originem, qui juxta canonicam sententiam jubentur esse stabiles, & dignitatis suæ nomen teneant, Ecclesie patrocinium nunquam amittant. Certe si ex his inventi fuerint originem trahere, quos canonice regula non jubet libertos esse, quamlibet post longa tempora, dummodo origine firmata, reducendi tamen sunt ad sanctam Ecclesiam, cui pertinent, jura. Libertas tamen ex familia Ecclesie facti, & posteritas, quæ ex his est procreata, si libertatem suam, vel parentum suorum invicenti fuerint celasse, aut abscondere, & tempore, quo ab Episcopo fuerint admoniti, eam præsentare distulerint, dum eorum origo (ut jam diximus) fuerit manifesta, per longam testem ad servitium Ecclesie reducantur, & ut Episcopo fuerit placitum, ita eos habeat. Hæc forma & in Præbiteris servanda erit, qui cum voluntate Episcopi sui, juxta canonicam regulam de familia sua Ecclesie libertos facere voluerint.

CAPUT

CAPVT V.

Ex concilio apud (a) Silvan.

(b) Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ, sive agrum, sive (c) rusticum mancipium, sive domum, sive hortum: nec creditoribus specialis hypothecæ (d) titulo obligare. (e) Alienationis autem verbum contineat (f) conditionem, (g) donationem, (h) venditionem, (i) permutationem, & (k) emphyteusim perpetuum contractum: sed omnes sacerdotes ab huiusmodi alienatione abstineant, pœnas timentes, quas (l) Leonina constitutio minatur.

NOTÆ.

(a) *Silvanect.* Burchardus lib. 3. *Decreti*, cap. 164. Bernardus Papiensis in 1. *collect.* sub hoc tit. cap. 4. citant textum hunc ex Concilio celebrato apud Silvanect. præsentem Ludovico Rege, cap. 5. Ivo Carnot. p. 3. *Decreti*, cap. 183. & p. 17. *cap. ultim.* refert textum hunc ex constitutione 7. Justin. cap. 1. Et licet fuisset Concil. Silvanectense celebratum temporibus Nicolai I. anno 863. ad depositionem Rothaldi Episcopi Suedenensis, ut constat à Synodo Romana celebrata sub eodem Nicolao, ex *epist.* 32. *enfidem*, & ex traditis à Baronio tom. 10. anno 863. num. 69. tamen inter ejus acta non reperiuntur hæc verba; sed cum extent lib. 2. *Capitul. Lotharii*, cap. 29. credo in aliqua Synodo apud Silvanectum habitâ relata fuisse ea verba, & transcripta ex constitutione 7. Justin. cap. 1. apud Jul. Antecel. ex quo integram hujus textus restituo ita. [Nulla sub Romana diuisione constituta Ecclesia, vel xenodochium, vel prochorium, vel gerontocomium, vel brephorophium, vel monasterium, tam monachorum, quam sanctimonialium, archimandritam habens, vel archimandritissimam; Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, sive domum, sive agrum, sive rusticum mancipium, vel panes civiles; nec creditoribus, sive specialibus, sive generalibus hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum contineat venditionem, donationem, permutationem, & emphyteusim perpetuum contractum. Sed omnes omnino sacerdotes huiusmodi alienatione abstineant, pœnas timentes, quas Leonina constitutio minatur; id est, ut is quidem, qui comparavit rem loci venerabilis, reddat eam ei, cujus & antè fuerat, scilicet cum fructibus, aliisque emolumentis, quæ in medio tempore facta sunt; œconomum autem Ecclesiæ præstare lucrum, quod ex huiusmodi prohibita alienatione senserit, vel Ecclesiam damno affecerit; ita ut in posterum œconomus non sit. Non solum autem ipse, sed etiam successores ejus teneatur, sive ipse œconomus alienaverit, sive respiciens alienantem Episcopum non prohibuerit, & multo magis si consenserit. Tabellionem autem, qui talia interdicta instrumenta conscripserit, perpetuo exilio tradi oportet: Magistratus autem, qui eadem instrumenta admiserunt, & officiales, qui operam dederunt, ut monumentis intimentur donationes, vel cæteræ alienationes actis intervenientibus consenserunt, non solum magistratu, sed etiam dignitate, & facultatibus suis cadant. Remittit autem constitutio

ea, quæ in præterito tempore acta sunt: excipit autem quosdam contractus, quos in sequentibus exponit capitulis, per quos Ecclesiarum immobiles res alienari possunt.] Unde præsentis textus primò editus fuit à Justiniano in *dicta constitut.* 7. & ex eo transcriptus fuit inter Capitularia Lotharii lib. 2. cap. 29. & in Concilio apud Silvanectum habito, ex quo citatur in cap. 1. *de rerum permitt.* & ex illis codicibus Decretistæ, nec non Papiensis compilarunt, & ab eis Raymundus in præsentem transcriptus.

(b) *Nulli.* Hoc generali verbo comprehenduntur omnes Ecclesiarum Prælati, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præpositi, Archipresbyteri, Plebani, Presbyteri, ut aperte statuitur in Conciliis Agathensî, Epauncensî, Hispalensî, Oxoniensî, & Pontificum decretis, quorum verba referunt Gratianus in 12. *quest.* 2. Antonius Augustinus in *epit.* lib. 15. tit. 31. *per tot.* ita ut ex eorum sententia ad Prælatos etiam regulares extendatur præsentis prohibitio, nec non ad Ordinum Militarium Magistratos, & Priores: probant Rodriguez tom. 1. *regul. quest.* 27. artic. 12. Thom. Hurtado tom. 1. *de congrua sustent.* fol. 60. §. 16. Etiam comprehenduntur Capitulum Sede vacante. Redoanus *de rebus Ecclesiæ, quest.* 30. Prælati schismatici, cap. *unic. de schismat. cap. precaria* 44. 12. *quest.* 2. vel aliâs intrusi, cap. *alienationes* 37. 12. *quest.* 2. An etiam Summus Pontifex hac prohibitione Ecclesiæ comprehendatur, disputant tam Theologi, quàm Juristæ? Et Papam hac prohibitione non comprehendi, deditur tum ex eo, quia Princeps legibus solutus est, l. *Princeps*, ff. *de legibus*; nec potest unus Pontifex legem dicere, quam præcisè successor observare teneatur; cap. *audum, de elect.* Tum etiam, quia in *extravag. Ambitosa*, hoc titul. expressè cavetur, pœnas statutas in alienantes res Ecclesiæ, locum non habere, quando consulto Romano Pontifice celebratur alienatio: igitur quia cum licentiâ Pontificis facta alienatio valet, ut deducit Redoanus *de rebus Ecclesiæ, cap.* 44. Hinc varîe resolvuntur quæstiones circa effectum consensus Apostolici, & subreptionem in eo admissam per Doctores relatos à Riccio in *praxi*, tit. *de alienat. rer. Ecclesiæ, ex decisione* 24. usque ad 103. quæ omnino superflua essent, si præsentem prohibitionem Summus Pontifex comprehenderet: quare donationem rerum Ecclesiæ sustineri in cap. *per tuas, de donat.* & in cap. *ad audientiam, de prescript.* communiter docetur. Sed in hac quæstione, ommissis quæ de alienatione rerum Ecclesiæ facta à Pontifice ex potestate absoluta, seu ordinariâ, tradunt relati Doctores à Redoano

Redoano de rebus Ecclesia, cap. 45. num. 8. dicendum est, præsentis prohibitione etiam Summum Pontificem comprehendere, ut aperte probatur ex cap. non liceat Papa 12. quæst. 2. cujus textus meminit Paulus IV. in constitutione Injunctum, edita anno 1555. tom. 1. bull. ubi de Pontifice agi certum est; quia licet olim aliquando Episcopi Papæ dicerentur, ut probat Ambianus ad Tertul. de pudic. cap. 13. observ. 1. tamen hoc nomen proprium est Summi Pontificis, ut probat Bellarminus lib. 2. de Roman. Pontifice, cap. 31. quare hanc sententiam ex eodem textu probatur Azor p. 2. lib. 9. cap. 1. quæst. 3. Covar. lib. 2. var. cap. 17. num. 2. & cap. 18. Barbosa de potest. Episcopi alleg. 95. num. 23. Peyrin. Lezana, Boffius, & alii relati ab Hurtado tom. 1. de congrua, subresol. 25. §. 14. Ratio hujus sententiæ est, quia sicut cura Ecclesiæ Pontifici incumbit, ita & protectio rerum, sine quibus conservari non potest, cap. si quis obsecravit 7. 1. quæst. 3. Unde Pontifex, si sine justa causa rem Ecclesiæ alienaverit, licet alienatio subsistat, peccat tamen lethaliter. Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 13. num. 6. quamvis aliter distinguat Navarrus de spoliis cleric. §. 3. num. 8. hoc enim exigit vis directiva legum, juxta quam obligantur Principes observare leges à se, vel successoribus latas, ut probavi in cap. 1. de probat. licet pœnis statutis in alienantes res Ecclesiæ Pontifex non ligetur; quia quoad vim coactivam Princeps solutus est legibus. Cujacius lib. 15. observ. cap. 30. Mendoza de pallis lib. 1. cap. 5. Valquez ad 1. 2. D. Thoma, disput. 167. cap. 1. & 2. Suarez lib. 3. de legibus, cap. 22. Salas eod. tract. disput. 14. sect. 2. & 3. Causa verò legitima subsistente, alienatio rei Ecclesiæ facta à Pontifice absque alia solemnitate, defenditur dicto cap. per tuas. dicto cap. ad audientiam; quia auctoritas ipsius supplet defectum solemnitatis, argumento textus in l. 2. C. quando decreto opus non est; juxta quam doctrinam accipiendus est textus in dicto cap. non liceat Papa; dum docet, quod non liceat Papæ pro aliqua necessitate alienare res Ecclesiæ, hoc est, ut pro qualibet necessitate eas alienare non debeat, sed tantum pro magna, quæ justam causam præbeat alienationi.

3. (c) Rusticum mancipium.] Sicut Romani ad agrorum culturam servis utebantur, l. si mancipia 19. l. cum de lanionis 18. §. si fundus, ff. de fund. instruct. apud quos inter mancipia rustica enumerabantur mulier, custos fundi, aut prædii, villicus, molendaria, bubuleus, putatores, fossatores l. in testamento, §. mulier, ff. eod. titulo: ita & Ecclesia ad agros colendos plerumque in villis servis propriis utebatur; unde in Concil. Tolet. 16. can. 5. caveatur, ut ea Ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem; quæ verò minùs decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Ecclesiis. Et in Concilio Agathensi, can. 6. de his agunt Patres ibi; Castellus, vel mancipiola Ecclesiæ. Notantur Bosquetus ad Innoc. III. lib. 1. epist. 16. Meursius in Glossario, verbo Rusticum. Præclare verò definiunt leges Bajuvariorum operas, & tributa colonorum, ac servorum Ecclesiæ tit. 1. cap. 4. quem totum hic scribo; ne dubium quidem lectoris animo possit residere: [De colonis, vel servis Ecclesiæ, qualiter serviant, vel qualia tributa reddant, hoc est agrarium, se-

cundum estimationem judicis, provideat hoc Judex, secundum quod habet, donet. De triginta modis tres donet, & pascuarium desolvat secundum usum provincie. Andecingas legitimas, hoc est pericas decem pedes habentem, quatuor pericas in transverso, quadraginta in longo: arare, seminare, claudere, colligere, & tradere: à tremisse unusquisque accola ad duo modia fationis excolligere, seminare, colligere, & recondere debeat, & vineas plantando claudere, fodere, propaginare, & præcidere, vindemiare. Reddant decimum falcem de lino, de apibus decimum vas, pullos quatuor, ova quindecim reddant. Parasfredos donent, aut ipsi vadant, ubi eis, si injunctum fuerit, angarias cum carro faciant usque 1. leucas, amplius non minentur. Ad casus dominicas stabulare feminile, granicam, vel tuninum recuperandum, pedituras rationabiles accipiant; & quando necesse fuerit, omnino component. Calcurnium ubi prope fuerit, ligna, aut petras 1. homines faciant; ubi longè fuerit, C. homines debeant exire, & ad civitatem, vel ad villam, ubi necesse fuerit, ipsam calcem trahant. Servus autem Ecclesiæ secundum possessionem suam reddat tributa. Operas verò tres dies in hebdomada, in dominico operet: tres verò sibi faciat. Si verò dominus ejus dederit ei boves, & alias res, quas habet, tantum serviat, quantum ei per possibilitatem impositum fuerit, tamen injustè neminem opprimat.] Ubi per andecingas intelliguntur operæ aratorie; & per parasfredos equi majores, & generosiores equis ordinariis, ut exponunt Cujacius ad tit. C. de cursu publico, Lemaitre lib. 3. de bonis Eccles. cap. 6.

(d) Hypotheca.] Ut dicimus in cap. 1. de pignor.

(e) Alienationis autem verbum.] Cum alienatio sit rei suæ, juxta se in alium translatio, juxta Senecam lib. 5. de beneficiis, cap. 7. & illustant Fornerius, Gentilis, & Gedeus in dicta l. alienationem, ff. de v. f. Rither. de alienat. in princip. variè sunt modi transferendi res proprias, aut jus sibi competens; an verò ad perfectam alienationem desideretur domini translatio, pro solutione illius questionis, utrum mutuum sit alienatio, disputant Salmatius de mutuo, Gibalinus de usuris p. 1. cap. 2. artic. 4. ubi de alienationibus pecuniariis, tam ex jure gentium, quam Quiritum latè agunt.

(f) Conditionem.] Innocentius in præsentis vocem hanc accipit pro contractu conditionali, per quem prædium Ecclesiæ reddatur conditionale, id est, causa, seu natura prædii; quæ sententia merito ab omnibus improbat. Alii legunt conductionem, quos idem Innocentius reprehendit ex eo, quia conducere non est alienare, l. penult. §. instituto, ff. de legat. 2. quia locatio, sive conductio; non solet dominium mutare, l. non solet 39. 23. ff. locati, l. ad probationem, l. si conductionis 26. C. eod. tit. Quintinus in repetit. ad hunc textum, legit conditionem testamenti, quia qui testamentum condit, alienat; sed meritò eum reprehendit Germonius lib. 2. animadverti, cap. 20. Alii legunt concessionem, quia concessio alienationis species est, ex cap. cum nos, de his quæ sunt à Prælat. cap. 2. hoc tit. in 5. comp. Tandem his omnibus omittis Gironius in præsentis retinet conditionem, & exponit, id est, præ-

Etionem

tionem super rebus Ecclesiæ initam; nam verbum *conditio*, sumitur pro pacto, l. *societatem*, ff. pro socio. Inde stare conditionibus, pro servare pacta apud M. Tullium lib. 16 ad Tyronem, ibi: *Sim illi facte conditionibus stare noluerint, bellum paratum est.* Et l. *sed Celsus* 6. §. *conditio*, ff. de contrahenda emptione, l. *de iuri* 7. C. de pactis. Prohibetur igitur juxta mentem Cironii in præfenti pacto super rebus Ecclesiæ, quæ præjudicium afferre potest, cap. *plerique*, de pactis; non tamen omnis pactio, sed ea tantum, quæ damnum afferre potest Ecclesiæ, ut exprimitur in dicta extravag. *Ambitiosa*, hoc tit. in illis verbis: *Omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur.* Quæ sententiâ retentâ, aliqui inferunt, pactum retrovendendi, aut simile emptionis resolutorium, nec ex intervallo, nec in continenti à Prælatis Ecclesiæ apponi posse sine debita solennitate, aliâ nullum esse, ut docuit Fachineus lib. 2. *contro.* cap. 3. quæ doctrina quoad pacta ex intervallo adjecta planè procedit, ex traditis à Glossa verbo *Emisisti*, in l. 6. C. de prædiis minor. Pinel in l. 1. p. 3. num. 54. C. de bonis matern. Circa pacta verò resolutoria adjecta in contractu, quem potuit Prælatus sine solennitate celebrare, dubium est: & pro sententiâ Fachinei facit verbum hoc, *conditionem*, quo prohibetur, juxta Cironium, pacta quibus Ecclesia rerum suarum dominium amittit: sed per pactiones resolutorias, veluti de retrovendendo, legis commissoria; aut additionis in diem, dominium rei emptæ in venditorem transfertur, l. *ubi autem* 4. §. *sed & Marcellus*, ff. de in diem addit. ideoque potest actione in rem uti, l. *si quis hac lege* 41. ff. de rei vind. ergo hujusmodi pacta resolutoria, etiam in continenti, sine solennitate adjecti nequeunt. Facit etiam, quod hujusmodi pacta, quibus alienationi aditus paratur in rebus minorum, absque debita solennitate inita improbebantur, l. 1. §. *final.* ff. de rebus eorum, l. *si ad resolvendum* 7. C. de prædiis minor. docent Albericus ibi, Fabianus de Monte in tractat. de emptione, *question.* 7. in princip. Menochius lib. 2. de arbitri. casu 171. num. 11.

Contrariam tamen sententiâ, videlicet hujusmodi pacta resolutoria, sine solennitate adjecti posse à Prælato Ecclesiæ, vel tutore in contractibus à se utiliter gestis, docuerunt Cagnolus in l. 2. num. 151. C. *post. inter emptor.* Titaquel. de retract. *convent. tit. final.* num. 13. Pinel. dicta 3. p. num. 54. Gutierrez de tutel. 3. p. cap. 5. Larrea 1. tom. *decis.* 40. num. 70. Cyriacus *contro. servus.* lib. 2. *contro.* 239. §. *sequenti*; Vela 2. tom. *dissert.* 37. num. 43. pro qua sententiâ expendi possunt textus in cap. *verum* 4. de *condit. apposi.* l. *causam* 20. ff. de *manumiss.* l. *si rogatu* 20. §. *sed & si hac*, ff. de *manumiss.* *vindict.* l. 1. C. *quando decret.* opus non est; ubi hujusmodi pacta resolutoria sine solennitate in contractibus lucrativis admittuntur; ergo & in onerosis non debent improbari. Accedit quia per hujusmodi pacta resolutoria, non tam dominium transfertur, quam contractus resoluitur, *dist.* l. *si quis* hac 41. ff. de rei vind. ubi Antonius Faber. Igitur servanda sunt à Prælato vel tutore in illis casibus, in quibus ipsi sine solennitate contrahere valent. Fuscè eam probant Montero à Cueva *decis.* 47. Arias de Mesa lib. 3. *var. cap.* 25. num. 13. Olea *decis.* *jurium* lib. 2. q. 2. *per totam.* Nec hac

sententiâ retentâ obstant præfens textus, & textus in dicta extravaganti *Ambitiosa*, ibi: *Pactum, per quod dominium transfertur.* Nam his verbis improbantur pactiones, per quas intendit Prælatus transferre dominium irrevocabiliter acquisitum: at in specie pacti resolutorii nulla fit alienatio, cum ad eventum utque conditionis dominium retineatur. Nec etiam obstat textus in d. l. 1. §. *final.* ff. de reb. eorum. nam in eo textu non fuit apposta pactio resolutoria, aut ea, quæ venditionem revocabilem præferret; sed pactio illa, quæ cum dominium minori quantum ostenderet, nova obligatione, quæ alienationi aditum parabat, minorem adstringebat; fuit enim in ea specie conventum, ut quamdiu pretium non solveretur, pignori esset supposita res empta; cum autem pignus in re aliena non consistat, l. 2. C. *si aliena res*, l. *si rem alienam*, ff. de pignorat. act. l. 1. ff. de pignoribus, & qui vult consequens, antecedens etiam necessarium velit, l. 2. ff. de *in iudic.* inde fit, ut actum intelligatur, quod transeat in minorem dominium rei emptæ, quoties ipsi hac lege venditur res, ut quoad ipse pretium solverit, res pignori subiecta sit; quo casu valet quidem venditio, sed constitutio pignoris vitatur, quia in ipsa pignoris obligatione non intercessit solennitas, quæ in alienatione rerum minoris desideratur. Sed hæc interpretatio, etsi defendi possit, admittit sententiâ eorum, qui docuerunt, quod licet in emptione celebrata ab Ecclesiâ, vel minore, adjecti possit pactum resolutorium, ex quo opportuno tempore tollitur intellectus prioris contractus; tamen constitutio pignoris etiam in continenti fieri non potest, quia per eam salvo manente contractu læditur jus publicum, quod exigit certam solennitatem in alienatione rerum Ecclesiæ, seu minoris, quam defendunt Fachineus *dist.* lib. 2. *contro.* cap. 3. Trentacinq. lib. 2. *vari.* tit. de *minor. resol.* 9. num. 7. Lara de *vita hominis* cap. 23. num. 11. Hermosilla in l. 4. tit. 5. part. 5. *glos.* 2. num. 25. Acosta de *privileg. credit. ampl.* 4. num. 3. Vela *dissert.* 37. num. 32. Faber in *Papm.* *titul.* 12. *princip.* 8. *titul.* 55. Larrea *decis.* 40. num. 71. Arias de Mesa lib. 3. *vari.* cap. 25. num. 13, tamen juxta contrariam sententiâ, quæ non solum pactum resolutoriam in continenti in ea specie admittit, verum & pignoris constitutionem, quam defendunt Montero à Cueva *decis.* 37. Olea de *cess. jur. tit.* 2. *quest.* 2. num. 24. sustineri non potest; siquidem in eo §. finali, juncta lege sequenti, conventio adjecta fuit in continenti, & nihilominus improbat: igitur quia in pacto resolutorio etiam in continenti adjecto adhiberi debet solennitas, quæ in alienatione rerum minoris desideratur: quare responsum illud Vlpiani difficile; nec ad causantur decisionem allegari posse dixerunt Larrea ubi supra, num. 96. Acosta *dicta ampliat.* 4. num. 5. & perduram esse Vlpiani sententiâ docuit Martenzo in l. 2. *tit.* 3. lib. 5. *recopil. glos.* 1. num. 17. Sed adhuc hac sententiâ secundâ retentâ dici potest cum Doctore Olea *dicta quest.* 2. num. 41. in eo textu conventionem illam, ut prædia essent loco pignoris, donec pretium solveretur, non fuisse in continenti adjectam tempore venditionis celebratæ, sed tempore traditionis; unde cum ex intervallo pactum illud adjectum esset, ideo juxta supra tradita non sustinetur, nisi adhibita solennitate, quæ in alienatione rerum minoris

noris desideratur. Similiter pactum ex intervallo fuisse adjectum in d. l. si ad resolvendum, l. 2. C. si adversus donat. docuerunt Larrea dict. decis. 40. num. 70. Cyriacus contrav. 240. num. 10. Olea ubi supra, num. 18. Verum etiam omnia hucusque tradita vera sint, admittit sententiam Cironii, qui conditionem in presenti, pro conventionione accipit, seu pro pactioe, mihi semper placuit sententia Antonii Augustini in presenti, Cujacii hic, Germonii dicto cap. 20. & lib. 3. de sacror. immunit. cap. 17. num. 97. qui prolixius rejiciunt dictionem hanc, conditionem, ab hoc textu; nam cum in ejus autographis, & codicibus, ex quibus praesens textus transcriptus fuit, non reperitur, videlicet in dicta constitutione 7. Justin. dict. capitul. 29. apud Ivonem, & Burchardum, non est ratio, quare eam admittamus, praecipue cum in nulla alia canonica decisione, ubi de alienatione rerum Ecclesiae agitur, reperitur.

(g) *Donationem.* De qua agemus in cap. 3. de donat.

(h) *Venditionem.* De qua egi in cap. 1. de his quae sunt a Praelate.

(i) *Permutationem.* De qua agemus in cap. 1. de rerum permu.

(k) *Emphyteusim.* De quo alienationis modo agemus in cap. ad aures, hoc tit.

(l) *Leonina constitutio.* An haec verba referantur ad constitutionem Leonis IV. Pont. relatum ad Gratianum in cap. monerem 18. 12. quest. 2. an vero ad constitutionem Imperatoris Leonis, de qua statim, quaerit Germonius lib. 3. de sacror. immunit. cap. 17. num. 94. qui docet, in presenti agi de constitutione Pontificis Leonis; sed Glossa, & communiter repentes in presenti rectius verba relata acceperunt de lege Leonis, per quam latius, & accuratius consultum est Ecclesiae, prohibita rerum ejus alienatione. Quae constitutio Leonis, & Anthemii extat in l. iubeamus, C. de sacros. Eccles. inter quam, & constitutionem Anastasii relatum in l. privilegia. 17. C. eod. titulo, & aliam Justin. in dicta Novel. 7. illud interest, quod Leonina constitutio tantum pertinet ad majorem Ecclesiam Constantinopolitanae, ejusque rerum immobilium alienationem inhibuit; lex autem Anastasiana portexit jus illud etiam ad alias Ecclesias, quae suberant Patriarchae Constantinopolitanae, vel in eadem urbe, vel intra ejus territorium. Deinde eadem lege cautum fuit, ut aliarum Ecclesiarum res immobiles alienari possent, interveniente decreto, sive cum causa cognitione, & monumentis actorum apud Magistratum census, vel defensores civitatum. Tandem Justinianus in dicta Novel. 7. Anastasii constitutionem abrogavit, Leoninam vero confirmavit, & multis capitibus auxit, ut constat ex ejus serie supra relata, ex qua Novella 7. & pariter ex Novella 120. delumpta est authentica Hoc jus, C. de sacros. Eccles. quae transcripta legitur apud Gratianum in cap. 2. §. hoc jus 10. quest. 2. De penis vero a sacris canonibus statutis in alienantes res Ecclesiae, agemus infra in commentario sequenti.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu talis venit exagitanda assertio: *Res Ecclesiae alienari non debent. Idem cavetur traditur & in cap. quisquis 19. cap. Apostolicos 33. cap. Diaprobatur.*

coni 35. cap. quidquid 36. cap. Abbatibus 41. cap. sicut 49. cap. non liceat 48. Et fere per totam 11. quest. 2. cap. infames 17. 6. quest. 1. cap. 1. 10. quest. 2. cap. possessiones 62. 16. quest. 1. cap. si sacerdotis 10. 16. quest. 3. cap. quicumque 2. 17. quest. 4. cap. 1. cap. tua, de his quae sunt a Praelate, cap. 2. de donat. cap. 1. Et per totum, hoc tit. lib. 6. Clementina 1. eod. tit. extravag. ambitiosa, eod. tit. Concil. Areliaen. 4. can. 9. Et Episcopus, qui de facultate propria Ecclesia nihil reliquit, de Ecclesia facultate si quid aliter, quam canonis eloquuntur, obligaverit, vendiderit, aut distraxerit, ad Ecclesiam revocetur. Et can. 11. ibi: Si quid Abbatibus, aut sacris monasteriis, aut parochiis pro Dei contemplatione oblatum fuerit, in sua proprietate hoc Abbatibus, vel Presbyteri minime revocabunt, nec alienari a sancto fratribus debet. Et can. 12. ibi: Quicumque clericum aliquid jure ecclesiastico, seu per scripturam acceperit ad vendendum, & postmodum alienare quacumque occasione voluerit, non valebit. Et canone 34. ibi: Quisquis agellum Ecclesiae in die vite suae a quocumque sacerdote, cui potestas est, acceperit possidendum, quacumque ibi profecerit, alienandi nullam habeat potestatem. Aurel. 1. can. 13. ibi: Ne cui liceat res, vel facultates Ecclesiae, aut monasterii, vel xenodochii pro quacumque elemosyna cum iustitia delegatas retinere, alienare, atque subtrahere. Tolet. 3. can. 3. Haec sancta Synodus nulli Episcoporum licentiam tribuit res alienare Ecclesiae, quoniam & antiquioribus canonibus haec prohibetur. Tolet. 9. can. 3. §. 8. Narbonense can. 8. Parisiense lib. 1. cap. 17. quorum verba refert Antonius Augustinus in epit. lib. 15. tit. 31. l. iubeamus 14. autem, hoc jus, l. penult. C. de sacros. Eccles. Novel. 7. §. 120. Justin. Trident. sess. 22. de reform. cap. 11. Constitutio Emanueles Comneni, aut Bulla aurea de prohibita alienatione rerum ecclesiasticarum, apud Ballamonem in notis ad 7. Synodum, can. 12. pag. 516. ex editione Gent. Herbert. & postea ab Edmund. Bonet. in lib. juris Orient. & Dionys. Gothofredo post novellas Justiniani, & Leonis, sub praedicto Emanuele, tit. 9. §. 10. l. 1. §. 2. tit. 14. part. 7. Illustrant ultra congestos in presenti a Barbola & Garanna, Castillo de us. cap. 64. Trentacinquies lib. 3. var. tit. de rerum alienat. resolut. unic. per tot. Hermosilla in l. 3. tit. 5. part. 5. gloss. 1. per tot. Vela rom. 1. decis. 15. Barbola lib. 3. juris eccles. cap. 30. per totum, & de potest. Episcop. alleg. 55. Lothetius de re benef. lib. 3. cap. 25. plures referens Carvallo in cap. Raynuntum, 2. p. num. 314. Arias de Mesa lib. 2. var. cap. 41. & lib. 3. cap. 23. Olea de res. jur. tit. 2. quest. 1. §. 2. Anguianus lib. 1. de legib. contravers. 14. Germonius lib. 2. animado. cap. 20. Ballamon in can. 12. Synodi 7. & in canone 29. §. 36. Synodi Carthag. & in can. 13. Concil. Antyr. Corvinus lib. 2. apoborsm. tit. 41. Cujacius in presenti, Quintanaadvennas lib. 2. eccles. a num. 68. Chopinus lib. 3. de sacra pol. tit. 6. Valenzuela consil. 3. Hieronymus Garcia tom. 2. polit. regnl. fol. 621. Rodericus Suarez allegat. 21. Thomas Hurtado tom. 1. de congrua sustent. resolut. 2. per tot. Velasco de privil. pauper. lib. 1. quest. 22. Petrus Gregorius lib. 1. de repub. cap. 31. Vigel. in methodo juris can. fol. 369. P. Grethlorus lib. 3. de immunit. eccles. Schonbornetius lib. 4. polit. cap. 2. Gibalinus tom. 2. de negot. lib. 4. cap. 8. Farin. in reperit. de contract. quest. 10. Delbene tom. 2. de immunit. cap. 17. Datus de benef. sect. 7. Rosellius

Rouffellius lib. 5. hif. Pontif. iurisd. cap. 1. Olea de cell. iur. tit. 7. quæst. 1. nam. 2. Botiller. de succ. cap. 2. theor. 76. Matius lib. 1. resol. cap. 4. usque ad 7. Castillo de aliment. cap. 64. Paulus Melius in eius addit. Germonius lib. 3. de sacr. immunit. cap. 17.

9. Inpagina-
tur traditio
vicia.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita inturgo. Certum est, Ecclesiam veterum suarum rerum dominium habere, ut probavi cap. 1. Et 2. hoc titulo: unde sequitur necessarium ad libitum posse de illis disponere, easque quocunque titulo alienare, & in alium transferre, s. per traditionem, Insti. de rer. divis. l. quâ ratione 9. s. hoc quoque, l. traditio 20. ff. de acquir. rer. domini. l. incivile 12. C. de rei vind. l. in re mandata 21. C. mandati. In hoc enim præcipuum dominii partem consistere certum est, ut latè probat Donellus lib. 9. comment. cap. 9. Unde dicendum videtur, nullâ potuisse prohiberi lege hanc liberam disponendi facultatem. Augetur hæc difficultas ex eo, nam qui repudiat legatum, vel hæreditatem, alienat res in ea comprehensas, l. magis puto 9. S. si pupillus, ff. de rebus eorum, l. quod si minor, 24. s. non semper, ff. de minor. l. final. C. de repud. hæredit. Sed Prælati Ecclesie potest propria auctoritate repudiare hæreditatem, vel legatum Ecclesie relictum, ut de hæreditate constat ex cap. final. 17. quæst. 2. De legato suadetur ex eo, quia acquisitio legati conuenit in se lucrum, l. legatum 34. de legat. 2. & per consequens sicut in lucro acquirendo potest servus Domino præjudicare, l. final. s. si autem, C. de acquir. hæredit. ita & Prælati poterit repudiare legatum Ecclesie relictum. Augetur hæc difficultas ex eo, quia usucapio, seu præscriptio alienatio est, l. alienationis 28. ff. de verb. sign. sed res Ecclesie usucapione, & præscriptione acquiri possunt, cap. 1. cap. ad aures, de præscription. ergo quia res Ecclesie alienari possunt.

10. Prælati
non habent
potestatem

Quâ dubitandi ratione ita fœlicitè minime obstat, vera est præfens assertio, pro cuius expositione præmissis, quæ pro origine huius prohibitionis repetenda adduxi in cap. 1. de his quæ sunt à Prælat. sciendum est, quod sicut in quibusdam casibus emere & vendere compellimur, ut in exemplis relatis in l. 1. s. cura ff. de offic. Præfati. urb. l. 2. ff. de his qui sunt sui, l. 2. C. de patribus qui filios: ita & converso jus nunquam alienandi facultatem domino aufert, quamvis eam interpretatione coangustandam, utpote odiosam, extimer. Socinus consil. 112. num. 21. volum. 1. Cujus generis plures prohibitions inveniuntur in utroque jure, ut probat Donellus lib. 9. comment. cap. 10. inter quas est illa, quæ res Ecclesie vetat alienare, tot utriusque juris sanctionibus confirmata. Circa alienationis autem modos, & contractus à Prælati Ecclesie sine debita solennitate celebrandos, ultra relatos in præfenti textu, Interpretes nonnullos addunt, & examinant, veluti cessionem actionum, an videlicet Ecclesia possit eas cedere? quam questionem pro utraque parte doctè exagitat Olea de cell. iur. tit. 2. quæst. 1. qui eam ita resolvit: Aut jura competunt ad res immobiles, vel mobiles, sed pretiosas, aut quæ servando servari possunt, & eo casu affirmat cessionem non posse fieri ab Ecclesia sine solennitate à jure præscripta: vel jura competunt ad res mobiles, vel quæ servando servari

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

non possunt, & tunc cessionem admitti absque ulla solennitate. Secundo circa concursum creditorum formandum à Prælati inter creditores Ecclesie idem disputat Salgado part. 1. Labyrinthi, cap. 1. s. 3. & resolvit, hodie Ecclesiam; minorem, vel Reipublicam nullo præmissis decreto, & absque juris solennitate posse formare concursum cum suis creditoribus. Alios casus resolvunt in utroque foro Hieronymus Garcia, & Thomas Hurtado abisproximè. Præfentis verò prohibitionis causas, seu rationes varias adducunt Interpretes; licet non omnes ita veras. Primam deducunt ex eo, quia talis prohibitio lege divina nititur, juxta illud Levitic. cap. 25. ibi: Sub urbana Levitarum ne vendiant, quia possessio sempiterna est. Facit quia semel res Deo dicata, ad humanos usus transferri non debet, cap. nulli 3. cap. injustum 55. 12. quæst. 2. cap. injustum, de rer. permut. cap. quæ semel 4. 19. quæst. 3. cap. ad hæc 4. de relig. domibus, cap. semel, de reg. jur. in 6. Sed hæc ratio sustineri non potest; nam aliàs sequeretur, nullo in casu prædia ecclesiastica posse alienari, quod falsum est, ut infra dicemus: quare alia communiter assignatur ratio ex favore religionis petita; quia summa est ratio, quæ pro religione facit, l. sunt 43. ff. de religiosis, l. sanctimus 22. C. de sacros. Eccles. cap. in præfentia, de probat. Sed his rationibus omissis, veræ causa præfentis prohibitionis exprimuntur in ipsius constitutionibus, ubi talis prohibitio statuitur. Prima in dicta l. subemus 14. repetita in cap. 2. 10. quæst. 2. in illis verbis: Ut sicut ipsa religionis, & fidei mater perpetua est, ita ejus patrimonium jugiter servetur, illudum. Quæ innuunt utilitatem Ecclesie huic prohibitioni occasionem præbuisse. Est enim valde conveniens Ecclesie, ut ei conserventur bona propria, ex quibus sumptus exhibeat ad alendos ministros, & instauranda ædificia, cum sine bonis temporalibus stare non possint, cap. si quis 7. 1. quæstion. 3. notantur Aneas Robertus lib. 2. rer. iudic. cap. 2. Valenzuela contra Venetos 1. p. num. 63. optimè Donellus lib. 9. comment. cap. 10. idè oportet potestatem Prælatorum Ecclesie certis simibus coercere, ne sub prætextu administrationis in vitium dissipationis irruant, quod longè abhorrent sacri canones, cap. venerabili 37. de offic. deleg. Secunda ratio redditur in cap. quisquis 19. 12. quæst. 2. videlicet, quia non decet ut Prælati dispergat quæ non collegit: hæc autem impulsiva tantum est, non finalis; nam licet ministerio Prælati res Ecclesie acquisita sit, non minus alienari prohibetur, quam aliæ res Ecclesie, cap. 1. Et 3. 12. quæst. 3. Accedit exemplum minorum, de quibus ad Ecclesiam valet argumentum, cap. auditis, de integritate restitu. nam minoribus, & eorum tutoribus etiam prohibitum est prædium rusticum aut urbanum distrahere, l. 1. s. 1. ff. de rebus eorum, l. 2. Et per tot. C. de prædiis minor. vel etiam rei mobilem pretiosam, l. lex 22. C. de administrat. it. ergo sicut tutor res minoris sine decreto, & solennitate à jure præscripta alienare nequit; ita nec Prælati Ecclesie, qui pro tutore habetur, ejus bona sine debita solennitate alienare valet. Quando autem ex transcurso temporis præsumatur solennitatem inter eos esse, explicat Marinus lib. 1. resol. cap. 28.

Cum ergo ob Ecclesie utilitatem distractio bono.

11. De rebus alienari prohibitis.

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF
TORONTO

bonorum ejus prohibita sit, plerunque autem expedit, atque utilis sit alienatio, ut dicitur in *l. jubemus, §. sane, C. de sacros. Eccles. faciantur* textus in *l. quod si minor 2. §. 1. ff. de minoribus, l. cum plures 12. §. 1. ff. de administr. tut.* ut contingit in rebus, quæ sine detrimento ob interitum servari non possunt, argumento legis quæ tutoris, *C. de administr. tut.* ideo hæc prohibitio absoluta non est; immò licet rei appellatio latissima sit, *l. rei §. 1. rei 23. ff. de v. s.* tamen in præsentibus non æqualiter in omnibus rebus procedit; primis enim Ecclesiæ canonibus tantum immobilia, servi rustici, coloni, & annui redditus alienari prohibebantur ex hoc textu, ibi: *Rem immobilem, cap. ut super 8. cap. ad audientiam 9. hoc tit.* exceptis prædiis modicis, de quibus agemus in *cap. ut super 8. §. possessiones, hoc tit.* res autem mobiles absque ulla solennitate distrahi poterant. Postea protracta fuit hæc prohibitio ad res mobiles pretiosas, seu quæ servari possent, *dict. extravag. ambigua.* Nec tunc obstat textus in *cap. ut super 42. de elect. lib. 6.* quem exponit Garraña in *presenti.* Quæ tamen dicantur mobilia, & an pecunia, annui redditus, & actiones pro immobilibus habeantur, latè prosequuntur Vespertini nostri Antecessores in *presenti.* Olea *dict. ut. 2. quest. 1.* Hieronymus Garcia, & Thom. Hurtado ubi supra.

12. Nec etiam sacri Canones absolute inhi-
 bent rerum Ecclesiæ alienationem, sed ita demum, si
 fiat sine causa, absque juris solennitate; unde
 alienatio quæ fit servatis servandis, sustinetur;
 quare exponendum superest, quænam causæ suf-
 ficiant ad talem alienationem? Et Glossa in *cap.*
summa 12. quest. 2. tres causas agnoscit, necessi-
 tatis videlicet, utilitatis, & inutilitatis, quas de-
 ducit ex *cap. sicut 16. cap. sine exceptione 52. cap.*
terrulas 53. cap. aurum 70. cum sequenti, 12.
quest. 2. Authent. hoc jus, l. sancimus, C. de sa-
crof. Eccles. Novella Justin. quam edidit etiam
ac notis illustravit P. Pitheus post collat. leg. Mo-
saicæ pag. 192. Glossam sequuntur Redoanus *de*
rebus Eccles. quest. 19. Gilkenius in *dicta authent.*
hoc jus, Molina de iustitia disp. 468. conclus. 2.
Menochius lib. 2. de arbit. casu 172. num. 8. quæ
 omnes causæ utilitatem Ecclesiæ respiciunt, &
 comprehenduntur in *dicto cap. sine except.* in illis
 verbis: *Aliquid horum fiat, ut meliora; & in dicta*
extravag. ibi: Cum evidenti utilitate. Quare hæc
 causa finalis dicitur à Doctoribus permittendæ
 alienationis. De solennitate in hac alienatione
 adhibenda nonnulla adduxi in *c. 1. de his que fiunt*
à Prælat. & an alienatio sine solennitate, sed cum
causa celebrata nulla sit, dicemus infra in c. 6.

13. Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, cui
 satisfaciendum est dicendo, interdum contin-
 gere, ut qui dominus est, alienare absolute non
 possit, ut docetur in *princip. Instit. quibus aliena-*
re liceat; vel absque certa solennitate alienare
nequeat, ut contingit in minore, possessore ma-
ioratus, & similibus, ut probant Molina de pri-
mog. lib. 1. cap. 11. §. 18. Covar. lib. 3. variar.
cap. 5. à num. 5. Unde licet penes Ecclesiam verum
 dominium rerum ipsius resideat, tamen jus-
 tis ex causis supra relatis potuerunt sacri cano-
 nes alienationem ipsarum rerum sine certa solen-
 nitate prohibere. Accedit, quia Ecclesia ipsa,
 penes quam dominium residet, expers est ani-
 mi, seu consensus; unde cum alienatio explica-
 ti debeat per ejus Prælatos, & illi tantum sunt

administratores, possunt res ipsas distrahere.
 Nec obstat primum augmentum, pro cuius so-
 lutione, omisâ questione, utrum repudiatio
 hæreditatis, vel legati sit alienatio, quam latè
 disputant Fornerius, Gentilis, & Godeus in *l. alie-*
nationis ff. de v. s. Olvaldus lib. 23. Donellus c. 18. lit-
tera E. Gomez lib. 2. variar. cap. 14. num. 14. Ca-
stillo lib. 1. controu. cap. 112. plures congeffi à
 Meta *lib. 2. variar. cap. 41. per tot.* dicendum est,
 Prælatum Ecclesiæ non posse exemplo tutoris
 repudiare hæreditatem delatam, vel legatum re-
 lictum Ecclesiæ, ut probat Gibalinus *rom. 2. de*
negoe. lib. 4. cap. 8. sect. 5. quia ut supra dixi,
 non solum prohibitum est illi res Ecclesiæ alie-
 nare, verum & jura illi competentia, *cap. 2. hoc*
tit. in 6. Clement. 1. hoc tit. unde poterit jus Ec-
 clesiæ delatum repudiare, ut probant Molina *de*
iustitia, tract. 2. disp. 468. num. 12. Arias de Meta
dicto cap. 41. num. 11. & ita in acquirendis non
 posse Prælatum præjudicare Ecclesiæ, probant
 Gratianus *disc. cap. 674.* Redoanus *de rebus Ec-*
cles. quest. 2. cap. 12. Velbene, & alii, quos
 laudat & sequitur Valeron *de transact. tit. 4.*
quest. 1. ex num. 7. Nec obstat textus in *dicto cap.*
final. 17. quest. 4. nam omisiss quæ pro ejus illu-
 stratione adduxerunt Covar. *lib. 1. var. cap. 19.*
Donellus lib. 12. cap. 32. Petrus Gregorius *lib. 3.*
de republica, cap. 14. num. 13. Fornerius *lib. 2. re-*
rum quotid. cap. 8. Meril *lib. 2. obs. cap. 34.* Man-
 cinius *sacri juris dissert. 15. cap. 16.* Mornacius
 in *l. Papin. §. si Imperator, ff. de inoffic. Ri-*
 therurtius in *notis ad Salvianum, fol. 430.* Vinnius
lib. 2. select. cap. 32. Manrique *de differenti. 9. 47.*
Hermosilla in l. 8. tit. 4. glof. 3. part. 5. dicen-
 dum est, in eo textu non dubitari, an in repu-
 diatione hæreditatis, de qua in eo textu agitur,
 deberet intervenire solennitas, vel non; sed an
 in eo casu Aurelius Episcopus à D. Augustino
 relatus, excusandus esset, quia donationem red-
 didit, & restituit filiis donatoris postea natis, Et
 docetur Episcopum res donatas restituere debe-
 re, non jure fori, sed jure poli; quia cum illa do-
 natio facta fuisset ab eo, qui liberos non habebat,
 nec sperabat, susceptus postea liberis à dona-
 tore, qui si de illis cogitasset, talem donationem
 non fecisset, juxta legem si unquam, *C. de revo-*
candis, l. cum avus, ff. de condit. & demonstr. mer-
itò dicitur in dict. cap. final. contra mentem do-
natoris, & æquitatem naturalem non posse Ec-
clesiam retinere res sibi donatas. Nec obstat ulti-
 ma difficultas, pro cuius solutione dicendum
 est, quod cum regulariter alienatione rerum pro-
 hibita, non contematur inhibita alienatio, quæ ex
 juris necessitate fit, *l. 1. ff. de fundo dotali, l. &*
post. item 12. l. alienationes 13. ff. famul. erescund.
l. 1. C. commun. divid. l. filius 114. §. Divi, l. 2.
ff. de legat. 1. l. peto 69. §. prædium, ff. de le-
gat. 2. l. sed & si 3. §. pignori, ff. de rebus eorum,
l. inter 17. C. de præd. minor. docent Molina lib. 4.
de primog. cap. 8. Donellus *lib. 9. comment. cap. 10.*
 Cujacius *lib. 7. 99. Papin. & ibi Faber in d. l. alie-*
nationis, ff. famul. erescund. Castillo lib. 5. con-
trou. cap. 113. idem in hac prohibitione aliena-
 tionis rerum Ecclesiæ non comprehenditur alie-
 natio, quæ ex juris necessitate fit, ut latè probat
 Arias à Meta *lib. 3. variar. cap. 26. & 27.* qui hujus
 necessitatis alienationis varia exempla refert. Pri-
 mum quoties iudicis sententiâ res aliqua ab Ec-
 clesia auferatur legitime; nam eo casu etiam res
 minorum, vel dotales alienari possunt, *d. l. 1. ff.*
de

de fundo dotali, dist. l. 3. §. pignori, de rebus eorum. Secundum, cum ad divisionem prædii communis Ecclesiæ provocatur, quem casum illustrat Arias de Mela dist. lib. 3. cap. 28. per tot. & jam examinavi in cap. 3. de probat. Tertium exemplum refert Mela dist. cap. 27. cum res pignori subiecta distrahitur; hæc enim alienatio magis executio prioris obligationis, quam nova obligatio est, l. qui pupillarum 7. §. 1. ff. de rebus eorum; nec interest, quod in eodem ait Ulpianus, tutius esse si prius Prætor adeatur, quasi illius decretum necessarium sit ad pignoris distractionem; nam verbum *potius*, ubi consilium potius, quam necessitatem importat, ut in l. qui servum 34. §. si cui, ff. de obi. & del. cap. quem admodum 25. §. ultim. de iurejur. Nec etiam obstat §. si Prætor, ejusdem legis 7. ubi docetur, quod si res ex decreto Prætoris pignori datur, non poterit distrahi absque novo decreto. Nam hoc ita accipiendum est, si statim ac decretum pignoris causâ datum est, petatur distractio; secus verò si ex postfacto venditio fiat; juxta legem 4. ff. de pignorant. Quartum exemplum refert Mela dist. cap. 26. cum Ecclesiæ est hæres instituta & rogata est restituere hereditatem, quo casu absque ulla solemnitate restituere eam valet; quia hæc alienatio non tam ex voluntate Ecclesiæ fit, quam ex necessitate, argumento textus in l. magis puto 5. §. si fundus, ff. de rebus eorum. Quintum exemplum adducitur ex casu usufructuonis, seu præscriptionis rerum Ecclesiæ, quod examinavi in cap. de quarta, de præscript. Ultimum tandem exemplum adducit Mela dist. cap. 27. num. 6. ex redemptione census Ecclesiæ facta sine solemnitate; quia quamvis qui solutionem recepit, alienare intelligatur, §. at ex contrario, Instit. quibus alienare licet; tamen necessaria potius quam voluntaria est, cum ex legis ministerio fiat, immò ex natura contractus obligatio resolvatur, ut docetur Gaspar Rodriguez de annuis reddit. lib. 2. quæst. 15. §. num. 80. Avendanno de censibus cap. 105. num. 2.

Manet ergo, præsentem prohibitionem locum non habere in alienatione necessaria; nec tunc obstat textus in l. quidam 10. l. rogo 21. ff. de fideicommiss. libert. ubi prohibita servi alienatione a testatore, non solum voluntaria, verum & necessaria, distractio prohibita censetur, adeo ut quocumque modo hæres servum alienaverit, libertas illi competat: ergo idem dicendum est in præsentem prohibitionem alienationis rerum Ecclesiæ. Pro quorum iurium expositione, omissis solutionibus traditis à Rolando, & Ruino, quas refert Arias de Mela dicto cap. 26. num. 10. dicendum est, aliquando prohiberi alienationem servorum à testatore odioso ipsorum, ut in l. ea quidem §. C. si mancipium; quod & fecisse Augustum testis est Suetonius in eius vita, cap. 21. aliquando verò prohiberi favore ipsorum, ut non aliam, quam hæredis expectantur servitutem, quo casu si alienati sint, libertatem assequuntur, l. cum fidei 9. dist. l. quidam 10. ut contingit in domo alienari prohibita, quæ in casum alienationis censetur per fideicommissum proximioribus de familia relicta, l. peto 69. §. fratris, ff. de legat. 2. Unde ad effectum fideicommissi consequendi nihil interest, quoquo modo distractio fiat, ex voluntate videlicet, an ex necessitate, quia utroque casu impleta conditio censetur, ut explicat Cujacius lib. 15. obf. cap. 5. licet in aliis casibus supra relatis non idem procedat. Illud tamen circa eundem casum discrimen notandum est, inter casum, in quo servorum distractio fit urgentibus testatoris creditoribus, seu alienatione necessaria ex pacto ejusdem proveniente, aut propter creditores hæredis, aut in d. l. peto §. prædium, l. Status 48. §. ult. ff. de iure fidei; ut primo casu etiam servi, aut bona alienentur, fideicommissum extinguatur, d. l. cum fidei 9. ubi nondum, pro non, accipi notavit Gothofredus ibi: si verò urgentibus hæredis creditoribus vendantur, fideicommissum competit, quia ejus conditio adimpleta est; prosequitur Arias de Mela dist. cap. 26. num. 10.

14.
Exponitur
quidam
10. l. rogo
21. ff. de fidei-
commiss. libert.

CAPVT VI.

(a) Symmachus Papa.

Si quis presbyterorum, diaconorum, seu defensorum alienanti prædium Ecclesiæ subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, servatâ, quam præmissimus, in alienatorem vindictâ, nisi fortè & alienator sibi, dum repetit; & qui acceperit, celeri restitutione prospexit. Quod si minore animæ suæ curâ quisquam remedium oblatum fortè neglexerint, præter ea pœnarum genera, quæ superius tenentur adscripta, contra fas si quod præceptum fuerit documentum, univèrsis viribus suis, quævis ab initio nullas vires habuerit, efferetur. Sed etiam liceat quibuscumque ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, & ecclesiastica auctoritate fulciri, ita ut cum fructibus possint alienata reposcere. Hujus autem constituti legem in Apostolica tantum volumus Sede servari, univèrsis Ecclesiis per provincias, quæ proposito religionis convenire Rectores earum videntur, more servato.

NOTÆ.

(a) Symmachus.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 6. addendum autem D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

est. in Synodo Romana. Et licet Conciliis legat *tertia*, can. 4. §. 6. tamen in ea Synodo non reperiuntur hæc verba; extat tamen sententia ferè eisdem verbis concepta in Synodo 6. Romana, celebrata.

celebrata tempore Theodorici Regis, sub Kalendis Octobris, anno 503. ex qua citantur à Gratiano textus in *cap. in canonibus, cap. iura 16. quest. 1. cap. non licet, dist. 10. cap. iniustum 11. quest. 3.* Synodus hæc congregata fuit contra in-valores rerum Ecclesiæ, & statutum, ut nisi bona ablata restituerent, ut manifesti hæretici excommunicarentur, nec aliter quàm per satisfactio-nem ad communionem admitterentur. Item ne liceret Imperatori, vel Regi aliquid ex ipsis bonis usurpare, Cui decreto accuratè paruit Rex Theodoricus, dum interpellatus ab Eustorgio Episcopo pro bonis Ecclesiæ Mediolanensis, ita rescripsit apud Cassiodorum *lib. 2. var. cap. 29. Quamvis nullo velimus gravamen aliquod sustinere, quos videtur pietas nostra protegere (quia regnantis est gloria subiectorum ocio-sa tranquillitas) tamen specialiter Ecclesiæ ab omni injuria cupimus reddi alienas, quibus dum æquabilia præstantur, misericordia divinitus acquiritur: Et ideo Beatissimi viri Eustorgi, Episcopi sancte Mediolanensis Ecclesiæ, petitione permoti, presentibus te assatibus admonemus, ut prædixi, vel honoribus illius Ecclesiæ intra Siciliam constitutus tuitionem studeas, salva civitate, præstare, nec à quoquam cuiuslibet rationis homine contra fas patiaris opprimi, quos decet divinitus intuitu sublevari. Et lib. 4. epistol. 17. Refert Coriolanus in *summa Concil. fol. 231.**

COMMENTARIUM.

NON erat satis alienationem rerum Ecclesiæ tot legibus prohibere, nisi & ipsa alienatio contra sacros canones facta irritaretur, & ita alienantes, aut alienationi consentientes debitis compescerentur pœnis. Ea enim est legis perfecta natura, ut contra eam factum nequeat sustineri, etiamsi clausulam irritantem non contineat, quia adjecta creditur, *l. non dubium, C. de legibus, Velatus de privileg. pæper. p. 1. quest. 22. num. 2.* Unde si res Ecclesiæ sine præscripta à sacris canonibus solemnitate, & iusta causa alienentur, nulla est ipso jure alienatio, aded ut non sit necessaria ulla iudicis declaratio, *cap. sine exceptione, cap. quicquid, cap. quidquid 12. quest. 2. cap. 2. hoc tit. lib. 6. Clement. 1. cod. tit. dist. extravag. ambigua*: late probant innumeris congesti à Barboza *lib. 3. jur. eccles. cap. 30. num. 46.* Thomas Hurtado *tom. 1. de congrua, lib. 1. §. 19. per totum, Marinis lib. 1. resol. cap. 6. §. 7.* nisi à Pontifice defendatur, ut in *cap. 28. §. final. de elect.* Nec obstat quod in *cap. si quæ de reb. 12. 12. quest. 2. cap. cum Ecclesia 31. de elect.* dicitur similem alienationem revocandam esse; nam debet intelligi, ut quatenus de facto præcessit, de facto etiam contractus rescindatur, Redoantus de reb. Eccles. *q. 77. cap. 1. num. 17.* Nec etiam obstat, quod in eodem casu alienationis succurritur Ecclesiæ per remedium restitutionis in integrum, *cap. 1. de in integrum restit. cap. 11. hoc titul.* quod remedium supponit contractum valuisse, *l. in causa 16. ff. de minor.* Quia respondendum est, aliud esse agere ob lationem ad rescissionem contractus, aliud verò ad nullitatem ex defectu solemnitatis. Primo casu remedium restitutionis necessarium est, *dicto cap. 1. junctis ibi adductis*: secundo verò casu tali remedio opus non est, quia alienatio ipso jure est nulla. Dubium tamen est, si in præ-

senti casu omittatur solemnitas, subsistit tamen alienationis iusta causa, an sustineatur talis alienatio; sæpe enim propter utilitatem sustinentur contractus, qui aliàs nisi cum solemnitate non celebrantur, *l. cum hi 8. §. eam, ff. de transact. l. non minus 14. C. de procurat. l. final. ff. de iur. dor.* Accedit, quia utilitas Ecclesiæ simili alienationi iustam causam præbet, ut in textu antecedenti probavi; ergo si adest utilitatis causa, satis consultum est Ecclesiæ, etiamsi solemnitas non adhibeatur; quod & in alienatione rerum minoris defendit Tiraquel. *ad leges connub. glof. 8. num. 86.* Quare hanc sententiam defendunt plures, quos refert Gilkenius in *ambent. hoc ius, n. 61. C. de sacros. Eccles. R. buffus in comp. alien. n. 34.* Navarrus de *re dicit. Eccles. num. 17.* Malcardus de *probas. conclus. 75.* Gutierrez *lib. 2. prælit. quest. 22. num. 9. & lib. 2. de tutel. cap. 7. num. 12.* Rodríguez *tom. 1. 99. Regul. quest. 27.* Contrariam tamen sententiam, videlicet etiam iustâ subsistente causâ alienationem rerum Ecclesiæ absque solemnitate factam nullam esse, probant Sarmiento *1. p. de reddit. cap. 2. num. 6. §. 15.* Gilkenius *ubi supra, ex num. 96.* Vincent. à Franchis *decis. 35.* Riccius *tit. de alienat. decis. 7. num. 3.* Quæ sententia probatur ex *cap. sine excepte. 12. 12. q. 2.* ubi expressè exigitur in alienatione rerum Ecclesiæ, ut facta sit à Prelato ex iusta causa, & simul cum solemnitate, id est, totius Cleri consensu. Idem probatur ex *cap. 1. hoc titul. in 6. ubi tractatus, hoc est solemnitas, desideratur; & in extravag. Ambigua, exigitur causa; unde unum sine alio non sufficit; nam ubi pro forma aliquid desideratur, ejus omisio actum vitiat, *cap. quia propter 42. de elect.* Facit etiam exemplum minoris; nam si in alienatione prædii papularis causa adfit, decretum autem Prætoris non accedat, inutilis est alienatio, ut resolvit Fachineus *lib. 3. contro. cap. 3.* Hæc ergo opinio reientâ pro solutione eorum rationum, quas pro contraria sententia adducebamus, discrimen ita constituendum est. Aut enim alij Ecclesiæ obligantur absque mutua, & reciproca obligatione; & tunc certum est contractum valere; aut alienatio facta fuit cum mutua obligatione; & tunc alienatio non procedente solemnitate nulla est, nisi persistente causâ Ecclesiæ agat ex ea; nam tunc opo exceptionis sustinetur, ne cum alterius iactura Ecclesia locupletetur, contra legem nam hoc natura, *ff. de condit. indob. latius prosequuntur Sarmientus & Gilkenius ubi supra.* Eadem quæ de defectu solemnitatis hucusque diximus, procedunt etiam deficiente causa; nam cum pro forma alienationis in vim conditionis desideretur iusta causa, & solemnitas, unâ deficiente actus, corrumpit, *l. si pluribus 129. ff. de verb. obl. Donellus lib. 8. cap. 32.* ubi Oivaldus *littera Q.* docent Gilkenius *ubi supra, num. 12.* Duarenus *lib. 7. de sacris eccles. cap. 9.* idemque procedit si causa præcedat, sed fallâ, argumento legis non multum *14. ff. de auctoritat. lit. l. cum verò 26. §. subventum 7. ff. de fideicom. lib. 1. utroque enim casu alienatio ipso jure nulla est, nec necessarium erit restitutionis remedium, ut voluit Glossa in *summa, 12. quest. 2.***

Circapœnas statutas contra alienantes res Ecclesiæ, sciendum est, quod diversa fuerunt pro temporis varietate statuta. Primò ex constitutio-nis Leonina relata in *dist. 1. subemus 14. C. de sacros. ritus con-Eccles. constitutis*

Ecclesiæ puniuntur huiusmodi alienantes amissione officii obtenti, & compelluntur damnum illarum Ecclesiæ restituere: idem statuitur in cap. nulli 3. cum sequenti, cap. monemus 18. cap. quisquis 19. cap. indigne 21. cum sequenti, 12. quest. 2. cap. nulli 5. hoc tit. & iure antiquo deponerentur Episcopi, qui absque necessitate res Ecclesiæ distrahebant, cap. si quis Episcopus 10. quest. 2. cap. Apostolicas 12. quest. 1. item clerici, aut Abbates, qui sine licentia Episcopi distrahebant res Ecclesiæ, cap. Abbatibus 12. q. 2. Sed Paulus II. in dicta extravagante *Ambitiosa*, hanc dispositionis penam temperavit, excommunicatione inflicta, & post moram in petenda absolutione,

suspensione à regimine propriæ Ecclesiæ impositâ; licet quoad has pœnas constitutionem hanc usu receptam non esse moneant Suarez de censuris disp. 23. sect. 6. num. 3. Barbosa de potest. Episcop. alleg. 5. num. 173. Postea novis constitutionibus Pii V. Urbani VIII. Gregorii XIII. & Sixti V. excommunicatio prolata est non solum in alienantes res Ecclesiæ, verum & in consentientes huiusmodi alienationi, absolutione Pontifici reservatâ, ut eas referens probat Gibalinus in synopsi censur. verba Alienatio: prosequuntur Garcia supra, dub. ultimum. Hurtado dict. tom. 1. de congr. §. 16. & nos aliqua dabimus in cap. 1. de solutionibus.

CAPVT VII.

Alexander III. (a) *VVigorn. Episcopo.*

AD aures. Et infra: Illas verò terras, quæ de sylvis extirpatis sunt (b) arabiles factæ, eis (c) hæreditario iure sub annuo censu poteris concedere tenendas, à quibus ipsas suo, vel parentum suorum labore constiterit fuisse extirpatis, nisi fortè aliis possent ad maiorem tuæ Ecclesiæ utilitatem, cum eodem onere, & labore conferri.

NOTÆ.

(a) *VVigorn.*] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 7. Conciliis addit, Paris cap. ad aures; & rectè, quia prior pars huius textus extat in cap. ad aures, de eo qui duxit in matrim. in eadem prima collectione, & post Concilium Lateranen. p. 6. cap. 15. De Wigornienis Ecclesiæ nonnulla notavimus in cap. 9. de elect.

(b) *Arabiles factæ.*] In quibus agris sterilibus propriæ emphyteusis ratio consistit, quod facile patebit, si huius contractus originem referamus. Sciendum enim est, Romanos Italiâ occupatâ finitimorum agros bello captos partim vendidisse, partim publicasse, civibusque sub tributo modico ad fruendum dedisse. Plutarchus in vita Gracchorum, Appianus lib. 1. de bello civit., ibi: *Agros bello captos, sibi que in perpetuum reservatos, eos quidem qui culti erant, colonis continuo dividebant, vendebant, elocabant; eos verò, qui propter bellum inculti, ac deserti erant, quorum magna erat copia, quia nondum illis vacabat in sortem mittere, auctionabantur, eis que addicebant, qui colere vellem, vectigali imposto in naturam quidem frugum decimâ, reliquorum fructuum quintâ.* Aristoteles etiam lib. 2. econom. ait, Byzantinos exhausto ærario fundos publicos certâ mercede, & pensione locasse; fertiles quidem ad tempus, alios ad perpetuum, ut culturâ meliores evaderent. Et sanè tunc primùm in usum venire cœpit contractus hic, cum agri deserti, atque inculti non facile colonos reperiebant, qui cum impendium magnum in illorum cultura, atque melioratione fecissent, ab iis discedere cogebantur: institutum igitur fuit, ut non ad tempus, sed in perpetuum, vel certè ad tempus longissimum illi agri elocarentur ea lege, ut quamdiu merces solveretur, tamdiu, vel certè ad longissimum tempus, retinerentur. Unde emphyteusis diffinitur *Contractus, quo res immobilis in perpetuum, sive in longum tempus, quoad dominium utile conceditur sub certa*

D. D. Gonzal, in Decretal. Tom. III. Pars I.

pensione præstanda domino directo. Docent, naturam, & leges huius contractus prosequentes, Donellus lib. 9. comment. cap. 14. cum sequenti, Caldas integro tractatu de iure emphyteutico. Jul. Clarus lib. 4. sentent. §. emphyteusis, Bronchorst. centur. 1. assert. 80. cum sequenti Gibalinus p. 2. lib. 4. de usuris. cap. 1. Et an contractus juris gentium, vel civilis sit disputat Mancinus centur. 1. genial. cap. 27. & an sit bonæ fidei, vel stricti juris, quænamque actio ex eo detur, ipse examinat cap. 30. & 31.

(c) *Hæreditario iure.*] Inter alias emphyteusis divisiones ea præcipuè notatur ab Interpretibus, quod alia sit hæreditaria, alia verò familiaris. Hæreditaria est, quæ pro quibuscunque hæredibus, etiam extraneis conceditur: familiaris verò, quæ nullâ factâ mentione hæredum contracta fuit: quare vi concessionis non requirit, ut successores sint hæredes, poteritque filius repudiatâ hæreditate succedere in emphyteusi. De variis formulis, quibus emphyteusis conceditur, agit Molina de iustitia disput. 472. cum sequenti.

COMMENTARIUM.

Difficilis, & merito Interpretibus visâ est præsens Alexandri decisio, dum continet prædia Ecclesiæ in emphyteusim perpetuam dari posse; cum certum sit inter alias alienationis prohibita species, eam referri à sacris canonibus, cap. nulli, hoc tit. dicta extravag. ambitiosa: facitque textus in l. final. C. de rebus alien. dum inter alienationis modos enumerat emphyteuticam concessionem, ibi: *Similique modo servitutes minime imponi, nec emphyteusicos contractum.* Et rectè, nam per hanc concessionem transit in emphyteutam dominium l. 1. C. de iure emphyte. docent Valascus de iure emphyte. quest. 13. 18. & 29. Garcia de expensis cap. 14. à num. 3. Connanus lib. 7. comment. cap. 12. num. 2. Duarenus lib. 1. disp. cap. 14. Gutierrez lib. 2. canonic. cap. 8. num.

num. 22. Petrus Barb. in l. si filio 26. §. finali, num. 39. ff. solut. matrim. Sarmientus lib. 3. select. cap. 2. à num. 31. Faber decad. 65. errore 3. §. 5. & lib. 20. consuet. cap. 11. Schifordég. lib. 1. tract. 18. quæst. 3. Caldas Pereyra de renov. emphyt. lib. 1. quæst. 10. Jul. Clarus lib. 4. rescop. sentent. verbo Emphyteusis, quæst. 1. num. 2. Pichardus in §. alio, de locat. ex num. 31. Donellus lib. 9. comment. cap. 13. Yranzo de protestat. cap. 15. Solorzanus lib. 2. de jure Indiar. cap. 2. num. 6. Besoldus in delib. juris ad lib. 6. Pandect. tit. si ager vectigalis. Quod dominium Pragmatici utile, nos verò bonitarium dicimus, de quo loquuntur textus in l. sciendum 15. §. 1. ff. qui sauidare, l. 1. §. ult. ff. si ager vectig. l. cum sponsus 12. §. in vectigalibus, ff. de public. l. 3. §. si ego, ff. de novi operis nunc. l. 1. §. quod aut 3. l. 2. ff. de superfic. l. 5. titul. 30. parit. 3. Unde illi tantum possunt emphyteusim concedere, qui res ipsas alienare valent, non verò illi, qui alienandi facultatem non obtinent, ut minores, furiosi, prodigi, rutores sine decreto judicis, procuratores absque speciali mandato, ut probat Gibalinus dicto lib. 4. art. 1. cap. 3. Ex eadem ratione nec majoratus possessores possunt res majoratus in emphyteusim dare, ut post Molinam, & Mieres probant latè Flores de Mena ad dec. 16. Gamma, num. 3. Carvallo in cap. Raynuntius, part. 2. num. 311. Anguianus de legibus lib. 2. cap. 14. per totum. Igitur non rectè asseritur in præsentem, Episcopum posse prædia Ecclesiæ in emphyteusim concedere. Sed antequam huic difficultati satisfaciamus, sciendum est emphyteusim aliam esse perpetuam, aliam temporalem: perpetua, quæ communior est, unde emphyteutæ jus dicitur perpetuum in l. 1. r. 2. §. 3. C. de locat. præd. civil. l. 1. C. de offic. Comit. sacri pal. atque emphyteusis perpetua conductio dicitur à Gordiano in l. viam, C. locati, ea est, quæ sine temporis, aut personarum præfinitione conceditur; temporalis, quæ ad certum tempus, vel numerum personarum, l. ultim. ff. si ager vectigal. Cùm ergo de emphyteusi concedenda ex rebus ecclesiasticis agitur, jus hoc per Imperatores statutum legitimus, ut tempora-

lem emphyteusim omnibus Ecclesiis concedere liceat, dummodo ultra filios, & nepotes non porrigatur; perpetuam verò nullo modo concedere possint, nisi in prædiis ruinosis, authent. de non alienandis, authent. de alienat. & emphyt. Juxta sacros verò Canones indistinctè emphyteusis, tam perpetua, quam temporalis prohibetur, d. cap. nulli, d. extravag. ambitiosa; & meritò, quia si locatio prædiorum Ecclesiæ ad longum tempus fieri prohibetur, cap. ad audi. nriam, infra hoc tit. ita etiam emphyteusis: probat Molina lib. 2. de justitia, disp. 469. nec contrarium probatur in præsentem textu, nam in eo supponitur, emphyteusim concedi debere adhibitâ solennitate à jure præscripta, argumento textus in l. qui testamento 20. ff. de testam. & ita Alexander non negat in emphyteusi desiderari solennitatem, quæ in alienationibus exigitur. Accedit, quia in præsentem casu tantum dubitabatur; an prædia aliàs sterilia aratro ad fertilitatem redacta essent; & ita an adesset justa causa ad concedendam talem emphyteusim? Cui dubio respondet Alexander, alienationem illam fieri posse, quasi dicat, eam esse justam causam concedendi prædia Ecclesiæ in emphyteusim agricolis illis, qui ea reduxerunt ad culturam; non tamen ideo negat Alexander, adhibendam esse juris solennitatem. Si autem res Ecclesiæ solitæ sint concedi in emphyteusim, poterit Prælati propria auctoritate iterum dare, cap. per tuas, de donat. cap. finali, de feud. cap. 2. de locato, in §. compil. Vela tom. 1. dissert. 15. quia tunc non est alienatio, cùm res illæ nondum ad Ecclesiam redierint pleno jure. Docent Covar. lib. 2. var. cap. 17. Azor lib. 10. institut. p. 3. cap. 2. quæst. 8. Gibalinus dicto lib. 4. de usur. cap. 1. artic. 3. qui rectè exigunt, ut eadem causa dandi in emphyteusim perleveret; ideoque negant agrum, qui ob sterilitatem datus primò fuerit in emphyteusim, & deinceps culturâ factus est pinguior, finitâ emphyteusi propter emphyteutæ delictum, aut deficientibus ejus heredibus, dari denud in emphyteusim non posse; quia eadem causa, propter quam in emphyteusim primò datus fuerat, nimirum sterilitas, non amplius subest.

CAPVT VIII.

Cœlestinus III. (a) Ravennati Archiepiscopo.

UT super aliqua repositæ quæstionis dubietas Ap. Sed. providentiâ enodetur, Romana Ecclesia, cui licet immeriti præsidemus, singulorum consuevit consultationibus respondere. Sanè quæstivisti à nobis, si possessiones, seu redditus regalium decimationum, & aliunde ex certis locis provenientes, quos prædecessor tuus bonæ memoriæ quousque diem clausit extremum, ad manus suas tenuit, & in proprium usum exceperit, nec aliis infeudavit, de mensa sint Archiepiscopi intelligendi, & de eis, cùm ex sacramento fidelitatis teneatur ab Apostolica Sede, nihilominus causâ subjectionis contractus possit alienationis cujuslibet intervenire. Tuæ igitur inquisitioni præsentem paginam duximus respondendum, quod sive intelligantur de mensa, sive non, ut non alienentur, consultius æstimamus.

NOTÆ

NOTÆ.

(a) **R**avennati.] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 1. sed legendum est, *Urbanum III.* & supplendum est, *Gerardo*, de quo plura refert *Rubeus lib. 6. histor. Raven. fol. 355.* ubi aliud rescriptum à Lucio III. eidem missum refert. & fol. 357. ni fallor, hujus textus meminit, dum ait: *Lucius Pontifex Maximus postquam Argentam, quam memoravimus à Ferraricisibus, Salinquerat Torello Duce occupatam, restituendam iussit, eamque unâ cum omnibus, quæ in Argentano agro Archiepiscopus Ravennas possideret, Pontificiis litteris confirmavit, migravit ex hac vita Verona VII. Kal. Decembris: in ejus locum Urbanus III. susceptus est, qui postero anno litteris suis concessit Gerardo Ravennati Archiepiscopo, ut Ravennatis Ecclesiæ possessiones procul positas, & minus utiles, sicuti quæ Pollæ, & in quibusdam aliis locis erant, accedente sacratorum hujus Ecclesiæ virorum consensu, alienaret. De Ecclesiâ Ravennat. egi in cap. 5. de rescript.*

COMMENTARIUM.

Pro hujus textus expositione sciendum est, juramento fidelitatis ab Archiepiscopis & Episcopis præstando adjectam promissionem indemnitate rerum mensæ propriæ, his verbis: *Possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, non impignorabo, nec de novo infenuabo, vel aliquo modo alienabo; etiam cum*

S.

Possessiones verò, quæ Ecclesiæ tuæ minus sunt utiles, pro aliis utilioribus, de fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & ad sensu alienandi, seu commutandi liberam concedimus facultatem.

COMMENTARIUM.

Suppositâ hujus §. historiâ, quam ex Rubeo supra retuli, sciendum est, dubium esse, an universa bona immobilia, etiam modici valoris, sub præsentî prohibitione de rebus Ecclesiæ, & cetera comprehendantur? Et negativa sententia suadetur ex cap. *terruilas 53. II. q. 2.* ubi sine consilio fratrum, hoc est sine solennitate permittitur Episcopo alienare terrulas, seu vineolas exiguas, & Ecclesiæ parum utiles, ex cap. *3. de donationibus, l. 5. tit. 14. part. 1.* ubi rei modicæ donatio Prælato permittitur, etsi donare absolute ex rebus Ecclesiæ illi prohibeatur; cap. *1. de his quæ fiunt à Prælati.* Ita docuerunt *Redoanus de rebus Ecclesiæ q. 13. & 51.* *Gutierrez consil. 15. num. 7.* *Gratianus discept. forens. tom. 3. q. 452. num. 16.* qui æstimationem modicitatis prædiorum arbitrio Judicis relinquunt. Contraria verò sententiâ, immò ad omnia prædia etiam modicæ æstimationis præsentem prohibitionem extendi, verior est, non solum quia circa minorum prædia non alienanda hoc jus obtinuit, ex *l. si fundus 13. in princip. ff. de rebus eorum;* sed etiam quia eadem lex Ecclesiarum prædiis specialiter præscripta reperitur in cap. *1. ibi: Prædium Ecclesiæ magnum, vel exiguum, 17. q. 4.* & in præsentî textu: pro-

derit ergo modicitas, aut inutilitas prædii, ut alienationi faciendâ, quorum interest, servatâ formâ dictæ legis *si fundus*, consensum præbeant: sed sine solennitate facta distractio, etiam modici prædii, nulla est, ut docent *Duarenus lib. 7. de sacris Ecclesiæ, cap. 9.* *Rebuffus in compend. alienat. num. 60.* Nec contrarium probat textus in dicto cap. *terruilas*; nam ommissis solutionibus traditis à *Glossâ in præsentî*, *Gutierrez dicto consil. 15.* dicendum est cum *Duareno ubi proxime*, in eo textu non remitti solennitatem novis canonibus præscriptam, sed eam quæ desiderabatur juxta veteres canones: quos retulit in cap. *1. de his quæ fiunt à Prælat.* consensum videlicet comprovincialium Episcoporum; fratres enim ibi accipiuntur pro Coadjutoribus; ut notavit *Citonius ad titulum de his quæ fiunt à Prælat.* nam cum difficile esset, duos, aut tres comprovinciales ad quamcunque alienationem advocare, ideò constitutum fuit, ut distractendi facultatem solus Episcopus habeat, duobus concurrentibus. Primum, ut prædia alienatâ modici valoris, aut utilitatis sint: secundum ut necessitas urgeat, ita ut ad remittendam solennitatem illam sola necessitas non sufficiat, cap. *nullus 39. 17. q. 4.* Nec etiam sola modicitas, aut inutilitas, nisi duplex hæc causa concurrat, sufficit ad alienationem, quod probat mihi textus

textus in cap. si quos 57. 12. q. 2. dum in eo statuitur, valere donationem terrarum, aut vineolarum factam ab Episcopo libertis Ecclesiarum, quos ob benemerita manumiserat; idem enim ibi sustinetur donatio, non solum quia fuit facta de re modica, sed etiam quia fuit collata in servum benemerentem, quæ est iusta donationis causa, cap. cum redemptor 68. 12. q. 2. Nec etiam obstat

textus in dicto cap. 3. de donat. cuius sententia accipienda est de rebus mobilibus, quarum etiam donatio Episcopo prohibita est, ex cap. 2. eod. tit. juncta l. filium 7. ff. de donat. In his enim rebus, si quantitas exigua est, & consuetudo non refragatur, donatioem permittit textus ille, licet prædiorum donatio sine solemnitate etiam modici valoris improbetur.

CAPVT IX.

Cœlestinus III. (a) Exoniensi Episcopo.

AD audientiam nostram noveris pervenisse, quod quidam de Canonicis Exoniensibus, Ecclesiarum quædam prædia ejusdem Ecclesiarum inconsultis aliis fratribus, in damnum Ecclesiarum, & detrimentum eorum, accepta inde pecuniâ in perpetuum locaverunt: unde quoniam id indignum penitus noscitur, & iniquum: s. r. per A. f. m. quod si verum est, quod asseritur, locationes illas legitimè revocare curetis, ita quidem, quod si locata prædia non aliter revocare poterunt, eos, quos noveris harum locationum auctores, susceptam inde pecuniam refundere conductoribus compellas, ne si hujusmodi locationes in sua contigerit stabilitate persistere, inde gravis eidem Ecclesiarum possit incommoditas provenire.

NOTÆ.

(a) Exoniensibus.] Ita etiam habetur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 2. De Exoniensi Ecclesia nonnulla notavi in cap. 6. de filiis Presbyte.

COMMENTARIUM.

I. EX hoc textu communiter deducitur, prædia Ecclesiarum locari non posse ad longum tempus; quod & statuitur in cap. nulli 5. hoc titulo, Clement. 1. Extravag. ambuosa, eodem titulo: & probatur ex eo, quia ex locatione ad longum tempus facta dominium utile transfertur, l. 1. §. quod autem, l. final. ff. de superficiebus, l. 1. §. 2. ff. si ager vectig. probavi supra in cap. ad aures, & latè docent Velascus de privil. pauper. part. 1. q. 32. Brito ad rubric. de locato, §. 1. num. 10. Menochius de recuper. rem. 1. num. 68. Cujacius lib. 12. Pauli ad edictum, in l. id est, 74. ff. de rei vind. Pichardus in l. in summa, num. 283. Insti. de interd. Valentia lib. 2. illustrium, tract. 1. cap. 6. num. 1. Amaya in l. 1. C. de fide & jure hasta, num. 31. ideoque prohibitum alienari, nec ad longum tempus locari posse, est communis Doctorum resolutio, ut ex pluribus docent Gomez in l. 4. Tauri, Velascus dista q. 22. num. 14. qui longum tempus in hac parte accipiunt pro decennio, vel si locatio fiat ad novem annos cum pacto renovandi eam de novennio in novennium; & per consequens alienatione rerum Ecclesiarum veritè, prohibita censetur etiam locatio ad longum tempus. Sed in contrarium facit, quod locatio dominium mutare non solet, l. non solet 39. ff. locati; nec ullum verum ex ea transfertur dominium, ut probarunt latè Cumanus in l. Lucius, penult. §. instituto, de legat. 2. Connanus lib. 7. Comment. cap. 12. num. 3. Pinellus in l. 1. C. de bonis matern. 3. p. num. 66. cum nulla differentia versetur inter locationem ad longum, vel ad breve tempus factam, cum

in multis iuris locis reperiat locatio in plures annos facta, l. si in lege 24. §. final. l. qui fundum 32. l. cum in plures 60. ff. locati; & ex eadem lege qui fundum, juncta lege fundi partem 79. ff. de contrah. emptio. ubi locatio ad decem annos fit, quod tempus juxta Authores contrarie sententiæ longum dicitur, ut notavit Amaya in l. unic. C. de vendit. rerum fisc. num. 52. & ex locatione conductor non possidet, quia usus tantum rei illi permittitur, l. si servus 61. §. locavi 8. ff. de furtis: quare dicitur rem alii, non sibi possidere, l. 1. C. communia de usucap. l. 2. C. de prescript. 30. unde consequens est, ut conductor non possideat, cum circa detentionem rei nullum proprium jus habeat, sed mutuum à domino, cui possidet, & ministerium præstat, l. officium 9. ff. de rei vind. l. communis 7. §. nec colonis, ff. communi divid. l. 3. §. ult. cum l. sequenti. ff. ad exhib. l. servi 16. ff. de periculo & commodo, l. si quis 10. §. 1. l. qui bona 19. l. interdum 21. §. ult. ff. de acquir. possess. l. non solum 33. §. quod vulgo, ff. de usucap. l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. in puteum 12. §. ego, ff. quod vi aut clam, l. 1. §. denique, ff. de vi & vi armat. l. certè 6. §. is qui 2. ff. de precario; nisi expressè hoc actum sit, ut transferatur possessio in conductorem, argumento legis si absenti 38. §. 1. ff. hoc tit. Possessionem etiam locari posse, post Barolum, & Petrum Fabrum probat D. Josephus de Retes de acquir. possess. cap. 3. conclus. 2. num. 8. Igitur locatio rerum Ecclesiarum, sicut ad modicum tempus, etiam ad longum fieri potest. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, verum esse, nec ex locatione ad modicum tempus, nec ad longum facta, dominium aliquod in conductorem transferri: nec contrarium probant textus supra expensi, qui loquuntur, & procedunt in emphyteusi, ex qua dominium utile transfertur, l. possessores 12. C. de fundo patrim. lib. 11. ibi: Cum fundorum sint Domini; & l. si qui 5. C. de divers. prædis, eodem libro, ibi: Cum sufficiens possessoribus, quod apud eos dominium in perpetuum ex nostra liberalitate

Non permanent. Quia emphyteusis alienatio est, *Novel. 7. §. alienationis, ibi: Et in perpetuum extensam emphyteusim, que non procul ab alienatione consistit.* Locatio autem alienatio non est, ideoque ex ea, quamvis ad longum tempus facta, nullam dominium transferat. Nec contrarium proccur in hoc textu, & aliis supra citatis, ubi locatio rerum Ecclesie prohibetur, si ad longum tempus celebretur. Nam hoc non procedit, quia alienationis verbo comprehendatur locatio, sed extensione legis, quæ voluit, ut prohibita alienatione comprehendatur talis locatio ad longum tempus facta. Rationem autem hujus extensionis assignavit Amaya in *dist. l. unio. C. ne fidei in rem, num. 56.* quia ex tali locatio- ne perlonga videtur res Ecclesie alienata perpetuo, semper accedente utilitate rei locatæ, ut de usufructu civitatis relicto refertur in *l. an usufructus 16. ff. de usufruct. l. si usufructus 8. ff. de usufruct. legato*: possit enim evenire, ut si ad longum tempus non esset locata, utilior esset Ecclesie, & in effectu fraus fieret præsentis prohibitioni; frustra enim sacri canones prohiberent venditionem, & emphyteusim rerum Ecclesie, si liceret Prælato ipsas res Ecclesie ad longum usque tempus locare, cum per similem conductionem facile hæc prohibitio eluderetur; & prohibito actu alienationis, prohibitus quoque fuit omnis actus ei similis, & qui eundem effectum habet, *l. sicut 8. §. sed si 13. ff. quibus modis pignus.*

Adhuc tamen pro expositione præsentis textus distinguenda sunt nonnullæ locaciones; alia enim est locatio in perpetuum, veluti si quis rem condiderit quoad pensionem solvat, Carocius *p. 2. de locato, g. 6.* vel ad longum tempus, hoc est decennium, de qua hucusque egimus: alia est locatio ad modicum tempus, quæ licet apud Romanos de quinquennio intellexeretur, *l. sed si lege, §. si domus, ff. locati, C. p. 34. Paulus ad edict. in l. si in lege 24. §. final. ff. eod. tit.* tamen circa res Ecclesie locatio illa modica censenda est, quæ trienni metris non excedit. Rursus alia locatio est, quæ fit de rebus ad patrimonium Ecclesie spectantibus, alia de rebus præbendæ aut beneficio annexis. Tandem alia locatio fit repræsentatâ pecuniâ, hoc est ante diem solutâ, ut exponunt Zerola in *praxi, verbo Alienatio g. 7.* Gutierrez *3. p. de jurament. cap. 3. num. 2.* alia fit mercede statutis temporibus, vulgò à plazos, solvenda: in qua locationum varietate sequentes casus observandi sunt. Primus, cum bona Ecclesie in perpetuum, vel ad longum tempus locantur, quo casu talis locatio inutilis est, ex præsentis textu, & supra expensis; adeo ut nec pro tempore modico locatio sustineatur, ut resolvunt Molina *lib. 1. de primog. cap. 21. num. 28.* alter Molina *tom. 2. de injustia; disput. 467.* Secundus casus contingit, cum eadem bona ad tempus modicum locantur, quo casu utilis, & valida locatio est, *Clement. 1. extravag. ambrosia, hoc titulo*: do- cent uterque Molina *ubi supra*, Carocius *de locatione bonorum Ecclesie, lib. 1. conclus. 1. §. 2.* quia talis locatio tutori, & cuiunque administratori permittitur, ut docent Pinellus in *l. 1. C. de bonis matern. 3. p. num. 64.* Marinis *lib. 1.*

resol. cap. 4. Molina de primog. dist. cap. 21. qui etiam id resolvit in possessore majoratus; & de hac locatione accipiendus est Scavola in *l. p. null. §. instituo, ff. de legat. 2.* dum docet, prohibita alienatione, non censeri prohibitam locationem; eaque locatio nomine Ecclesie facta; successorem intra præfixum tempus constrin- git, & poterit fieri talis locatio repræsentatâ pecuniâ, vel consignato pretio certis pensionibus; dum tamen per repræsentationem pecuniæ non inferatur præjudicium successoribus. Trident. *sess. 25. de reform. docent Redoanus de rebus Eccles. g. 6. num. 53.* Carocius *de locat. rer. Eccles. conclus. 20.* Moedanus *decis. 8. sub titulo de confirm. vult.* Illud tamen in hoc casu summe notandum est, quod cum dicta Extrava- gans *Ambrosia*, tantum vigeat ubi usû rece- pta est, ut notantur Gilkenius in *authent. hoc ins. C. de SS. Eccles. Zerola in praxi, verbo Ali- enatio, Molina de justia, disput. 466.* Gutierrez *lib. 1. canonic. cap. 8. ex num. 2.* Garcia *de benef. 2. p. cap. 1. ex num. 40.* ad cognoscendum, an sine solemnitate supra triennium liceat condu- cere res Ecclesie, inspiciendum est, an prædicta constitutio recepta sit, quia si non reperitur recepta, poterunt locari res Ecclesie usque ad novem annos, cum ante illam constitutionem sola locatio ad longum tempus, id est, decen- nium, prohibita esset. Docent Gutierrez, Garcia, & Molina *ubi proxime*: juxta quam doctrinam accipiendus est textus in *cap. 2. de locato*, dum ait, locationem eam rerum Ecclesie permitti, quæ alienatio non fit; intelligendus est enim de locatione, quæ fit minori tempore decennio, ma- jori autem triennio. Tertius casus evenit cum per Rectorem Ecclesie, aut eum, qui præben- dam habet, locantur prædia annexa dignitati, aut præbendæ, vel fructus eorum; quæ locatio potius dicitur fructuum ecclesiasticorum, quam rerum Ecclesie, cum non fiat de rebus ad men- sam Ecclesie, seu ejus patrimonium spectanti- bus; quo casu discrimen constituendum est in- ter locationem prædiorum, rerumve annexarum præbendæ; & locationem fructuum ipsi- us præbendæ: locatio prædiorum ad longum tempus facta nulla est, quia æquale jus in his re- bus procedit, ac in rebus ecclesiasticis, *dist. ex- travag. ambrosia*; ideo omnium rerum, & bo- norum ecclesiasticorum locatio non sustinetur: locatio verò fructuum præbendæ etiam ad lon- gum tempus permittitur, ut *ex cap. final. ne Pra- latu vices suas, l. 9. tit. 17. part. 1.* probant Molina *de primog. lib. 4. cap. 21.* alter Molina *disput. 466.* Avendanno *1. p. de exequend. mandat. cap. 4. num. 42.* Valasco *de jure emphyt. g. 29.* quod jus beneficiariis non concedunt Gutierrez *lib. 1. canonic. cap. 8.* Garcia *ubi supra, num. 32.* Tan- dem ultimus casus notandus est cum fit locatio jurisdictionis ecclesiasticæ, aut facultatis eccle- siasticæ deputandi vicarios in spiritualibus; quo casu statuendum est, locationem nullam esse, sive ad longum, sive ad modicum tempus fiat, *cap. 1. §. 2. Ne Prælatu vices suas, Trident. sess. 25. de reform. cap. 11.* quia prædicta locatio magis propter simoniae periculum, quam propter dissipationem rerum corporalem prohibe- tur.

CAPVT X.

Innocentius III. *Caro Archiepiscopo Montis (a) Regalis.*

POSSESSIONES ad mensuram tuam, vel Capituli pertinentes alienare non debes, aut Ecclesias, in quibus consueverunt monachi ministrare, (b) clericis, vel laicis assignare personis. Ideoque fraternitatis tuae auctoritate presentium districtius inhibemus, ne possessiones, (c) casalia, vel Ecclesias, quae non consueverunt in beneficium assignari, alicui petenti concedas; immo potius Ecclesiam sancti Clementis de Messana, quam Gerardo Teutonico; & sancti Sepulchri Ecclesiam, similiter de Messana, quam Falconi Canonico; & beneficium, quod Thomae filio I. Ferrari, in grave praedictum Ecclesiae tuae diceris contulisse, ad priores usus non differas, appellatione postposita, revocare. Datum Romae apud Sanctum Petrum xi. Kal. Junii, Pontif. nostri anno primo.

NOTAE.

1. (a) *Montis Regalis.* Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & in epistolis Innocentii III. editis à Sirlero, *fol. 50.* ex quo textum ita restituo. Missa est praesens epistola *Caro Archiepiscopo Montis Regalis*; qui Guillelmo defuncto successit in Archiepiscopatu Montis Regalis anno 1189. cum esset monachus, & Abbas monasterii sanctae Mariae de Alto fonte, Ordinis Cisterciensis, ut refert D. Rochus Pittorom. *Sicut. sacra, novit. 3. fol. 415.* Huius Archiepiscopatus facultates à Regibus collatae, quas recenset Lellus p. 2. fol. 33. in suo libel. de *Montis Regalis Eccles.* magnum acceperant detrimentum; ideo Innocentius III. rescribit huic Archiepiscopo apud Silerum supra, *fol. 49.* primò in haec verba: *Quae in monasteriorum, & religiosorum locorum praedictum attentantur, in statum conventus debent revocari: nec firmitatem debent aliquam obtinere, quae in enorme damnum ipsorum minus licite praesumuntur. Ea propter venerabilis in Christo frater, Ecclesiae tuae volentes multati consulere, auctoritate tibi praesentium indulgemus, ut quae in Ecclesia tua, & in omnibus pertinentiis eius illicitè alienata inveneris, tibi liceat legitime revocare. Nulli ergo, &c. Datum Romae apud Sanctum Petrum xi. Kal. Maji.* Et statim circa alienationes ab ipso factas rescribit in praesentia epistola. De hac Ecclesia Montis Regalis egi in cap. 22. de offic. delegati.

2. (b) *Clericis vel laicis.* Sed ad, quid prohibitio haec erga laicos, cum ipsi sint incapaces cujuscunque beneficii, ut probavi in cap. 7. de elect. Credo Innocentium in praesentia per laicos non intelligere saeculares homines saltem minoribus ordinibus initiatos; sed nec etiam clericos eos, qui non sunt Canonici regulares; illi enim dicun-

tur clerici laici, ut probavi in cap. ad audientiam, de prebend. Unde ni fallor mens Innocentii est, Ecclesias monachorum non debere conferri clericis saecularibus, vel laicis, id est, clericis non regularibus; quia illi monachi non sunt; per quos consueverant Ecclesiae ipsae regi: tantum enim in praesentia Pontifex intendit prohibere, ne status Ecclesiae immutetur, juxta textum in cap. ad hac, de relig. domibus, cap. quod Dei, de statu monach. nam etiam è converso Ecclesiae saeculares monachorum administrationi traditi non possunt, nisi cum causae cognitione, licet causa ipsa videatur favorabilior, cap. ad audientiam, de Eccles. adific. quia quoad Ecclesia regi potest secundum primam institutionem, nihil est immutandum; sed tantum quando defectus adest, vel personarum, vel rerum, cap. relatum, ne clericis vel monachi. Quo modo accipiendum est Trident. sess. 24. de reform. cap. 10. regulariter tamen beneficia saecularia saecularibus, & regularia regularibus conferenda esse docetur in cap. cum de beneficio, cap. cum singula, de prebend. in 6. Clement. 1. de supplend. neglig. docent P. Gregorius lib. 1. partit. tit. 27. cap. 2. plures congeili à Barbosa lib. 3. juris Eccles. cap. 4. num. 79. & in cap. 10. Trident. Concilii, Paet Mendo de Ordin. Milit. disquisit. 11. q. 4. per totam, ubi latè agit de clericis fratribus Ordinum Militarium.

(c) *Casalia.* Casale villa est à casis dicta, de qua in vita Angelae de Fulgino, cap. 1. sect. 34. ita legitur: *Hoc accidit mihi primò vice, quando vendiderat casale meum.* Et lib. 3. constit. Neapolit. tit. 4. cap. 1. ita legitur: *Ut omnes civitates, castra, munitiones, casalia, villas, & quicquid in eis in-itus, aut foris.* Notarunt Bolquetus ad Innoc. lib. 1. epist. 17. Vossius de divinis sermon. lib. 3. cap. 4. verbo Casale.

CAPVT XI.

Idem Episcopo (a) Mauriensi, Praeposito Ulrien. & Decano Hectorien. Turonen. & Maurien. dioceses.

AD nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum (b) Tusien. monasterium depressum esset onere maximo (c) debitorum dil. f. Abbas, & conventus ejusdem villam, quae lanuen. vulgariter, necessitate coacti Bonevardo laico concesserunt in feudum,

feudum, tali conditione appositâ, quod idem laicus octoginta libras persolveret, pro quibus eadem villa extiterat obligata, quod idem non distulit effectui mancipare. Verum quia præfatum monasterium est, sicut dicunt, enormiter in hoc læsum, eo quod de redditibus villæ præfatæ conventus singulis diebus unum fersulum, & in festis XII. lectionum pisces, vel aliud æquipollens percipere consuevit, nobis humiliter supplicaverunt, ut feudum prædictum faceremus ad utilitatem monasterii revocare, præsertim cum idem laicus primo anno de ipsius proventibus ultra summam perceperit prætaxatam, & per multos postmodum annos suppressit ejus fructus. Nos ergo sic nolentes gravaminibus præfati monasterii providere, quod alii videamur injuriam irrogare, disc. v. per A. f. m. quat. inquisitâ plenius veritate, si prædictum monasterium propter hoc invenerit enorme dispendium incurrisse, sæpe dictum laicum, ut pecuniâ, quam pro exoneratione prædicti feudi, seu etiam pro utilitate ipsius monasterii noscitur expendisse, ab eodem Abbate, & conventu receptâ, cum sibi fructus percepti hætenus sufficere debeant pro labore, præfatum feudum eidem monasterio dimitrat liberum, & quietum, mon. & per cens. ec. ap. rem. compellatis.

NOTÆ.

(a) *Maurien.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* Mauriana est urbs in Sabaudia, ad Alpes Cortias, ubi in valle est civitas sancti Joannis Maurianensis, vulgò dicta S. Juan de Mauriene; ut refert Papirius Mafionius in *descript. Gallia per flumina, fol. 413.* Habet Ecclesiam Cathedralis, cujus Episcopus Hicorius subscripsit Concilio Matifcon. 1. & 2. ut tradit Carolus à sancto Paulo in *geograph. sacra, fol. 146.*

(b) *Tusien.*] Legendum esse *Secusen.* jam notavit Hostiensis in *presenti*, in castro enim Secusæ, in finibus Italiæ, & Delphinatus, provinciæ Galliarum, est monasterium S. Justitiam, Canonorum Regularium Congregationis Lateranensis; & licet per aliquot annos Monachi D. Benedicti in eo infederint, tandem reversi sunt ibi Canonici Regulares, ut refert Pennotus *lib. 1. hist. canonic. regul. cap. 28. num. 3.* in quo jacent plura Sanctorum corpora, quæ ipse recenset *lib. 3. cap. 46. num. 2.*

(c) *Debitorum.*] De quo casu agitur etiam in *cap. 1. hoc tit. in 5. compil.* ubi ita decrevit Honorius: (Proponentibus olim Abbate, & Conventu Sancti Antonini, Ecclesiam suam debitorum onere aggravatam, & humiliter postulantibus, ut concederemus, quod aliqua de possessionibus suis minus utiles venderentur, ut ex earum pretio solverentur: Nos eorum postulationibus annuimus in hac parte. Ipsi autem non ejusdem Ecclesiæ, sed vestri monasterii, licet illi subjeti, & res aliasidem monasterium contingentes ven. fr. n. Pistorien. Episcopo vendiderunt, quare Archidiaconus & Archipresbyter Senen. propter hoc partes de mandato nostro ad Sedem Apostolicam citaverunt, quibus coram nobis postmodum constitutis, nos hujusmodi contractum rescisso, vos & fidejussores vestros, ac ejusdem monasterii homines à juramento, & ejuslibet obligationis alterius, ac excommunicationis vinculo, quo tenebamini ejusdem occasione contractus, duximus absolvendos, in eum statum præfatum monasterium reducentes, in quo ante contractum prædictum noscitur existisse.)

COMMENTARIUM.

CERTUM est, rem Ecclesiæ improbè alienatam restituendam esse cum fructibus ex ea perceptis, *cap. si quis presbyterorum, cap. non liceat, tit. 9. 2.* ex vulgari principio, quo docetur, in omni restitutione, quæ ex justitia fit, fructus etiam vetite, *cap. 1. de in integrum restit. cap. gravus, cap. conquereute, de restit. spol. cap. accedens, in fine, ut lite non contest. l. videamus, S. in Faviana, ff. de usuris, l. Julianus, S. idem, l. præterea, ff. de rei vind. l. restituere 35. C. 71. ff. de verb. sign. l. si minor, l. restitutio, l. pater 28. S. si pecunia, ff. de minor. cum aliis adductis à Covar. *lib. 1. variar. cap. 3. Pinello in l. 2. C. de rescind. 2. p. cap. 4. S. 4. Acolta in S. C. quid si tantum, 2. p. a. num. 71.* Quare difficilis est præsens textus dum in eo docet Innocentius, monasterio enormiter læso in alienatione villæ, eam restituendam esse sine fructibus. Glossa in præsentii ait, remitti fructus pro labore administrandi ipsam villam, argumento legis *fructus 7. ff. solut. matrim.* Sed si hæc sententia esset vera, sequeretur, nunquam fructus venire in restitutionem, cum semper præcedat administratio ipsius rei restituendæ. *Costa ubi proxime, num. 75. Covar. dicto cap. 3. num. penult.* ut textum hunc exponant, supponunt in restitutione, quæ ex gratia fit, non venire fructus, *authent. idem est, C. de hæreticis, junctis traditis à Sfortia de in integr. restit. 2. p. q. 97. art. 14. Antonius Gomez lib. 3. var. cap. 13. num. 38. Garcia de nobilit. glos. 6. S. 1. num. 45. Peregrinus de jure ffici lib. 3. tit. 2. num. 6. Fachineus lib. 1. contrav. cap. 38.* Unde cum in præsentii specie in integrum restitutio concederetur Ecclesiæ ultra quadriennium à jure statutum, *Clement. unic. de in integr. restit. l. final. C. de temporibus in integrum;* & ita ex gratia potius, quam justitia daretur; ideo in tali restitutione extraordinaria non veniunt fructus. Sed etiam hæc interpretatio non placet, quia in præsentii specie Ecclesiæ enormissimè læsa fuit, cum ex fructibus primum anni tantum percepisset laicus, quantum pro villa dederat monasterio; sed propter enormissimam læsionem, etiam ultra quadriennium Ecclesiæ restitutio datur, *cap. 1. ibi: Vel alia rationabili causa, cap. 2. ibi: Nisi aliquid rationabile appareat; de in integr. restit. lib. 6. junctis Sfortia 1. p. q. 19. artic. 7. Covar. lib. 1. var. cap. 13. num. 10.* Igitur in præ-*

sentii

ferri casu potius ex iustitia, quam ex gratia concessa fuit. Alii tandem affirmant, in præsen-
 ti casu fructus non restitui ob naturam contractus
 feudalis, in quo à feudatario pro labore, &
 servitio, quod exhibet domino, fructus perci-
 piuntur, ut in *cap. 1. de feud.* quæ interpretatio
 suadetur ex illis verbis: *Cum fructus illi sufficere
 debeant pro labore.* Quæ non sunt intelligenda
 de solo labore impenso in cultura; & colligen-
 dis fructibus, ut Glossa voluit; sed de labore,
 seu servitio, ad quod ex naturâ contractus feu-
 dalis tenebatur, ex *cap. 1. §. huius autem, in qui-
 bus causis feudum amittatur, in usibus feudor.* Cum
 igitur servitia exhiberi non possint sine solici-
 tudine, & labore, pro illis fructus villæ feuda-
 lis suos facit. Sed hæc interpretatio refellitur
 primo ex eo, quia restitutio æqualiter contra
 omnes contractus, ex quibus læsio proveniat,
 minori, & Ecclesiæ competit, *l. si minor, l. res-
 titutio, ff. de minor.* Igitur si ex aliis contracti-
 bus res cum fructibus restituitur, ut supra pro-
 bavi etiam id admittendum est in læsione, quæ
 provenit ex contractu feudali. Secundò, quia
 feudi natura non fuit Innocentiò III. incogni-
 ta, *cap. verum, cap. ex transmissa, de foro compet.*
 sed feudi præfatio respectu feudatarii servi-
 tium, non verò labor appellatur; igitur cum

Innocentius fructus B. laico remisit propter la-
 bore, non sensit de servitio ob feudum im-
 penso. Facit etiam textus in *cap. 1. de in inte-
 gram restit.* juxta communem interpretationem
 quam ibi adduxi. His ergo solutionibus omni-
 bus verius dicendum credo, laborum feudatarii
 in præsen-
 ti specie non provenire ex natura feu-
 di, nec consistere in exhibendo servitio, sed in
 exoneratione monasterii à debitis contractis;
 quare petebat feudatarius contractum non esse
 rescindendum, ut constat ex illis verbis: *Non
 desultis effectus mancipare.* Ac proinde licet ex
 juris principii monasterium fuisset restitu-
 endum ad rem cum fructibus; solutis expensis
 feudatario pro labore in solvendis debitis mo-
 nasterii impenso; secundùm iustitiæ equalita-
 tem, ex dicta *l. fructus 7. l. intra utile 4. §. fi-
 nal. ff. de minor. l. Julianus 14. §. ex vendito;
 ff. de action. empti, l. curavit, C. eod. tit. l. 2. C.
 de usuris;* Innocentius III. tamen in præsen-
 ti intendens circuitus evitate; monasterio resti-
 tuendam esse villam decrevit; & B. laico feu-
 datario pro impenso labore in solutione de-
 bitorum monasterii fructus remisit iusti-
 tate, non quia feudatarius erat, sed quia consta-
 bat, ipsum à debitis monasterium exone-
 rasse.

CAPVT XII.

Idem in Concilio (a) generali.

CUM (b) laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit at-
 tributa potestas, quos subsequendi manet necessitas, non autem imperandi,
 dolemus in quibusdam ex illis sic refrigescere charitatem, quod immunitatem
 ecclesiasticæ libertatis, quam nedum sancti Patres, sed etiam Principes sæculares
 multis privilegiis muniverunt, non formidant suis constitutionibus, vel potius
 confiscationibus impugnare, non solum de alienatione feudorum; ac aliarum pos-
 sessionum Ecclesiarum, & usurpatione jurisdictionum, sed etiam de (c) mortua-
 riis nec non & aliis, quæ juri spirituali videntur annexa, illicitè præsumendo. Vo-
 lentes igitur super his Ecclesiarum indemnitatibus consulere, ac tantis gravaminibus
 providere, constitutiones huiusmodi, & venditiones feudorum, seu aliorum
 bonorum sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu præsumptas occasio-
 ne constitutionis laicæ potestatis (cum non constitutio, sed destructio, vel destru-
 ctio dici possit, nec non usurpationis jurisdictionis,) sacri approbatione Concilii de-
 crevimus non tenere, præsumptoribus per cens. ec. compescendis.

NOTÆ.

1. (a) *Concilio.*] Lateranensi videlicet, celebra-
 to sub Innocentio III. ubi *cap. 44. & in
 4. collect. sub. hoc tit. cap. unic.* repetitur hic
 textus.

2. (b) *Laicis.*] Hæc verba extant in *cap. laici 24.
 tit. 9. ult.* cujus prior pars refertur in *cap. 1.*

96. dist. Nec rectè exaudiuntur à Cujacio hic
 de laicis religiosis, id est, in monasteriis con-
 versis; seu oblati, de quibus egi in *cap. in præ-
 sentia, de probat.* Laici enim religiosis in præ-
 senti accipiuntur pro viris catholicis, & reli-
 giosis.

(c) *Mortuariis.*] De quibus in *cap. congrega-
 tione, de offic. ordin. cap. final. de testam.*